



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Gesta Innocentii III. Romani Pontificis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**



G E S T A  
**INNOCENTII III.**  
 ROMANI PONTIFICIS.

Auctore incognito, sed coætaneo.

*STEPHANUS BALUZIUS Tutelensis editionem Tolo-  
 sanam innumeris propemodum in locis emendavit ex fide  
 vetustissimorum codicum MSS.*

I.



**I**NNOCENTIUS tertius Papa, ex patre Transmundo de Comitibus Signina, matre verò Claricia de nobilibus Urbis, fuit vir perspicacis ingenij & tenacis memoriae, in divinis & humanis litteris eruditus, sermone tam vulgari quàm litterali disertus, exercitatus in cantilena & psalmodia, statura mediocri, & decorus aspectu, medius inter prodigalitem & avaritiam, sed in elemosynis & victualibus magis largus, & in aliis magis parvus, nisi cum necessitatis articulus exigebat; severus contra rebelles & contumaces, sed benignus erga humiles & devotos; fortis & stabilis, magnanimus & astutus; fidei defensor, & hæresis expugnator; in justitia rigidus, sed in misericordia pius; humilis in prosperis, & patiens in adversis; naturæ tamen aliquantulum indignantis, sed facile ignoscentis.

II. Hic priùm in Urbe, deinde Parisius, tandem Bononiæ scholasticis studiis insudavit, & super coætaneos suos tam in philosophica quàm theologica disciplina profecit; sicut ejus opuscula manifestant, quæ diversis temporibus edidit & dictavit. Fecit enim ante pontificatum libros de miseria conditionis humanæ, & de Missarum mysteriis, & de quadripartita specie nuptiarum. Post pontificatum autem, libros Sermonum, Epistolarum, Regestorum, & Decretalium, quæ manifestè declarant quantum fuerit tam in humano quam in divino jure peritus.

Tom. I.

III. Hunc sanctæ memoriæ Gregorius octavus Papa in Subdiaconum ordinavit; & Clemens III. Papa promovit in Diaconum Cardinalem, vigesimum nonum ætatis annum agentem, assignans ei Ecclesiam sanctorum Sergij & Bacchi, cujus ipse fuerat Diaconus Cardinalis. Proficiebat autem, sicut ætate, sic etiam probitate coram Deo & omni populo, ita ut omnes de ipsius sublimatione præsumerent & sperarent.

IV. Infra biennium postquam promotus fuit in Cardinalem, præfatam sanctorum Sergij & Bacchi Ecclesiam, quæ nimis erat deformis & ruinosa, ut magis crypta quàm basilica videretur, suis sumptibus restauravit, parietes erigens, & renovans tectum, super novos gradus construens novum altare, novaque pectoralia faciens ante chorum. Statim autem postquam fuit ad apostolatus apicem assumptus, jussit fieri ante ipsam Ecclesiam porticum columnatam, de bonis quæ in Cardinalatu contulerat sibi Deus; multis mirantibus unde in novitate sua tantas invenisset expensas, cum manus suas ab omni turpi munere excussisset, nullam à quoquam donationem vel promissionem accipiens antè quàm ejus esset negotium terminatum, nihil exigens à quoquam, via regia semper incedens, non declinans ad dexteram vel sinistram, inter fratres sine querela conversans, non dividens se in partem.

V. Defuncto igitur Celestino, cum quidam Cardinalium se contulissent ad Septa Solis monasterij Clivisauri, ut liberius & securius ibi possent de successoris electione tractare, ipse

a

cum quibusdam alijs apud Basilicam Constantinianam voluit decessoris exequiis interesse. Quibus honorificè celebratis, ipse cum illis ad præfatum locum accessit. Missarum solemnibus in honore sancti Spiritus à solis ibidem Cardinalibus celebratis, cum ad tractandum de substitutione Pontificis confedissent, placuit omnibus in communi ut ad terram humiliter inclinati, singuli pacis osculum sibi darent. Et exhortatione præmissa, examinatores fuerunt secundum morem electi, qui sigillatim votis omnium perscrutatis, & in scriptis redactis, examinationem factam retulerunt ad fratres. Et quoniam in eum plurimi conveniunt, licet tres alij fuissent ab aliquibus nominati, post disputationem super ætate habitam inter eos, quia tunc erat annorum triginta septem, omnes tandem consenserunt in ipsum, propter honestatem morum & scientiam litterarum, eum in Summum Pontificem eligentes, stentem, ejulantem, & renitentem, vocantes ipsum Innocentium, cum prius Lotharius vocaretur. Et publicata electione, cum laudibus ductus est à multitudine cleri ac populi, qui inferius expectabat, ad Constantiniam Basilicam, & inde ad Patriarchium Lateranensem perductus, peractis omnibus secundum morem solitum & antiquum.

VI. Cum autem celebraretur electio, hujusmodi signum apparuit; quod videlicet tres columbæ frequentabant volatus in locum in quo Cardinales sedebant congregati, & cum ipse post nominationem fuisset à ceteris segregatus, una illarum, quæ candidissima erat, ad eum volitans, juxta dexteram insidebat. In visione quoque nonnunquam ostensum est quod ipse matrem suam duceret in uxorem. Et aliæ multæ revelationes factæ sunt viris religiosi de ipso, quas scribere prætermittimus, quoniam & ipse nolebat hujusmodi præfagia indicari.

VII. Celebrata est ejus electio sexto Idus Januarij anno incarnationis dominicæ millesimo centesimo nonagesimo septimo. Et quia tunc Diaconus erat, dilata est ejus ordinatio in Presbyterum usque ad sabbatum quatuor temporum, nono Kalendas Martij, & sequenti Dominica, in qua tunc occurrit festum Cathedræ sancti Petri, fuit apud sanctum Petrum in Episcopum consecratus, & in ejusdem Apostoli cathedra constitutus, non sine manifesto signo & omnibus admirando. Interfuerunt autem consecrationi ejus, quam ipse cum multa cordis compunctione & lacrymarum effusione recepit, quatuor Archiepiscopi, & viginti octo Episcopi, sex Presbyteri & novem Diaconi Cardinales, & decem Abbates, cum quibus omnibus, & tam Priore cum Subdiaconis, quam Primicerio cum Cantoribus, nec non Judicibus, Advocatis, & Scriptoriis, & ceteris scholasticis processit solemniter coronatus per Urbem à Basilica sancti Petri usque ad Lateranensem palatium, comitantibus Præfecto & Senatore cum magnatibus & nobilibus Urbis, multisque Capitaneis & Consulibus ac Reëctoribus civitatum. Coronata est tota civitas & clerus cum thuribus & incenso. Populus autem cum psalmis & floribus, utrique cum hymnis & canticis, sparsis de more missilibus obviam illi catervatim venerunt, factaque laude tam in-

fra Ecclesiam sancti Petri quam ante Lateranensem palatium, postquam ascendit in domum majorem, quæ Leoniana vocatur, Presbyterio per ordinem distributo, solemnè convivium celebravit.

VIII. Statim post electionem ipsius, Romanus populus cepit apud eum vehementer instare, supplicans & deprecans ut eos ad fidelitatem reciperet, & consueta sibi dona conferret. Ipse verò induci non potuit ante consecrationem super hoc eis vellet præbere consensum. Sed post consecrationem, cum turbulentius conclamarent, deliberavit super hac petitione populi diligenter. Et quoniam status Romanæ Ecclesiæ pessimum erat, pro eo quod à tempore Benedicti Carificum Senatum Urbis perdidit, & idem Benedictus seipsum faciens Senatorem, subtraxerat illi Maritimam & Sabiniam, suos Justiciarios in illis constituens, Henricus autem Imperator occupaverat totum regnum Siciliae totumque patrimonium Ecclesiæ usque ad portas Urbis, præter solam Campaniam, in qua tamen plus timebatur ipse quam Papa, in hoc devenit consilium ut petitionem populi exaudiret; quatenus & tempus redimeret malum, & patrimonium recuperaret amissum. Verum antequam populo responderet, volens scire utrum thesaurus Ecclesiæ sufficeret ad hoc opus, usus est hac cautela, quod per singulas parochiales Ecclesias fecit singulos parochianos occultè describi, ut sciret & numerum & qualitatem ipsorum; & ita veritate comperta, jussit illos recipi per singulas regiones. Sed nunquam tantam potuit adhibere cautelam quin fraus committeretur in multis. Forma verò juramenti quod præstitit populus, talis fuit. *Ego &c.* Sequenti die post consecrationem suam Petrum Urbis Præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, & per mantum, quod illi donavit, de præfectura eum publicè investivit, qui usque ad id tempus juramento fidelitatis Imperatori fuerat obligatus, & ab eo præfecturæ tenebat honorem. Sed & ab alijs Baronibus circumquaque juramentum fidelitatis recepit; missisque nuntiis per totum Ecclesiæ patrimonium, fecit sibi fidelitatem ab omnibus exhiberi. Et exclusis Justiciariis Senatoris, qui ei fidelitatem juraverat, suos Justiciarios ordinavit; electoque per medianum suum alio Senatore tam infra Urbem quam extrà, patrimonium recuperavit nuper amissum.

IX. Porro non suffecit hoc sibi; sed statim post suam electionem destinavit duos Presbyteros Cardinales, Cinchium Tituli sancti Laurentij in Lucina, & Johannem Tituli sanctæ Priscæ, contra Marcualdum in Marchiam, ut eum ad dominium Ecclesiæ revocarent. Ipse autem Marcualdus misit nuntios suos, videlicet Camerinensem & Venafranum Episcopos, & nobilem virum Rambertum Monaldi, ad Dominum Innocentium, petens per illos ut faceret ipsum ad præsentiam suam securè conduci, quia & de persona & de pecunia & de terra volebat esse ad mandatum ipsius. Et sic in animam ejus juravit nobilis antedictus. Erat enim idem Marcualdus Senescalcus Imperij, Dux Ravennæ & Romaniolæ, Marchio Anconæ & Moliisj, vir inge-

Lib. 1. epist. 41.  
c. 177-178.

iosus & subdolos, multam habens pecuniam sub Henrico Imperatore in regno Siciliae acquisitam, quem inter omnes familiares suos ipse Imperator habuerat prædilectum, & eum executorem sui fecerat testamenti. Unde promittebat eidem Domino Papæ quod si eum in gratiam suam admittere dignaretur, ipse Romanam Ecclesiam amplius exaltaret quam exaltata fuerat à tempore Constantini, cum testamentum illud ad ingentem redundaret Ecclesie Romanæ gloriam & honorem. Petebat tamen ut donec ad præsentiam ejus accederet, & reverteretur in Marchiam, Cardinales non reciperent ad fidelitatem Ecclesie Marchianas. Ipse verò concessit ut interim invitos non cogere, sed recipere voluntarios; mittens ad ipsum Guidonem Tituli sanctæ Mariæ Trans Tyberim Præbyterum Cardinalem, qui eum ad præsentiam suam securè conduceret, si vellet præmissa complere. Sed noluit, quia Dominus Papa præsenferat & vitaverat ejus fraudem, negans se Ramberto Monaldi mandasse ut in animam ejus præscripto modo juraret. Qui cum scriptum proferret quod illi tribuerat, secundum quod ipse juravit, respondit se non didicisse scripturam, ideoque quid Notarius ejus scripserit ignorare. Cardinales autem excommunicaverunt eum propter scelera quæ patrabat; & recipientes ad fidelitatem Ecclesie Marchianas, receperunt terram ad dominium Ecclesie revertentem. Qui cum multam pecuniam expendisset, & cognosceret quod non posset Marchiam retinere, obtulit Domino Papæ pecuniam copiosam, annum censum promittens, si recepta fidelitate concederet ei terram. Quod cum Dominus Papa facere noller, quia suspectam habebat fraudem ipsius, reliquit Marchiam, & regnum intravit. Reducta est igitur tota Marchia, præter Asculum, ad dominium & fidelitatem Ecclesie, videlicet Ancona, Firmum, Auximum, Camerinum, Fanum Esim, Senegalia, & Pensanium, cum omnibus diocesis suis.

IX. Conradus ergo natione Suevus, Dux Spoleti, & Comes Asisij, videns terram suam pari modo ad dominium Ecclesie Romanæ redire, multis modis tentavit si posset apud Dominum Papam gratiam invenire, offerens ei decem milia librarum in continenti, & annum censum centum librarum argenti, & obsequium ducentorum militum per patrimonium Ecclesie à Radicofano usque Ceperanum. Pro securitate verò, præter hominum & fidelitatem suam & juramenta suorum, promittebat tradere filios suos obsides, & omnes munitiones tribuere suis custodiendas expensis. Licet autem Dominus Papa conditionem istam utilem reputaret; quia tamen multi scandalizabantur ex ea, tanquam vellet Theotonicos in Italia confovere, qui crudeli tyrannide redegerant eos in gravissimam servitutem, in favorem libertatis declinans, non acceptavit oblata. Dicitur ergo Conradus cum taliter non proficeret, reddidit se ad mandatum ipsius sine pacto quolibet & tenore: qui misit Narniam Octavianum Ostiensem Episcopum & Gerardum sancti Adriani Diaconum Cardinalem: in quorum præsentia, coram Episcopis, Baroni-

Tom. I.

bus, & multitudine copiosa juravit super Evangelium, Reliquias, & Crucem stare universis mandatis Domini Papæ; & absolvens in continenti omnes vassallos à sua fidelitate, mandansque omnibus ut ad dominium Ecclesie Romanæ redirent, statim etiam reddidit duas munitiones quas ipse tenebat, videlicet Rocham de Vualdo, & Roccham de Cese. Roccham autem Asisij reddi mandavit. Sed Asisinate, qui eam tenebant obsessam, non permiserunt illam reddi Domino Papæ, quin captam penitus destruxerunt. Recuperavit ergo Romana Ecclesia Ducatum Spoleti, & Comitatum Asisij, videlicet Reatem, Spoletum, Asisium, Fulgineum, & Nuceram, cum omnibus diocesis suis. Quia verò mora prædicti i Conradi erat valde suspecta, de mandato Domini Papæ rediit in Theotoniam. Recuperavit etiam Perusium, Eugubium, Tudertum, & civitatem Castelli, cum Comitatus suis, recepto juramento fidelitatis à civibus, Baronibus, & Catanis. Fecit autem destrui castrum Montis sanctæ Mariæ, in quo tempore prædecessoris sui Conradus, qui Musca in cerebro dicebatur, captum detinuit præfatum Octavianum Episcopum Ostiensem de Francia redeuntem, ut esset demolitio hæc in titulum memorie sempiternæ.

X. Celebrato ergo Apostolorum festo, Dominus Papa Urbem exivit, & in Ducatum Spoletanum accessit, quem ad fidelitatem Ecclesie nuperrimè revocaverat, ut illum personaliter visitaret; venitque Reate; ubi receptus cum ingenti gaudio & honore, consecravit Ecclesiam sancti Eleutherij Martyris, & Ecclesiam sancti Johannis Evangelistæ. Inde profectus Spoletum, dedicavit Ecclesiam cathedralem; ibique quiddam miraculosum evenit, quod cum cives anxiantur super aquarum penuria, cœperunt circa civitatem studiosè perquirere ubi fodiendo possent aquarum copiam invenire quæ sufficeret equorum multitudini adaquandæ. Ac subito sub muro civitatis viderunt aquam scaturire de rupe, quæ fossas ibi factas replevit, ita exiens abundanter quod omnibus equis sufficiebat ad potum; vocatusque est fons Papalis. Processit inde Perusium, ubi majoris Ecclesie consecravit altare; veniensque Tudertum, altare sancti Fortunati solemniter consecravit, & ad ornatum omnium altarium quæ propriis manibus consecravit, obtulit serica pallia pretiosa & pallas subtiliter operatas. Statuensque Rectorem in Ducatu Spoleti & Comitatu Asisij terrisque vicinis, videlicet Gregorium sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, per Ameliam, Ortam, & civitatem Castellanam, circa festum omnium sanctorum remeavit ad Urbem.

XI. Civitates autem Tusciæ, quæ propter im-portabilem Alemannorum tyrannidem quasi gravem incurrerant servitutem, societatem hanc ad invicem inierunt, præter civitatem Pisanam, quæ nunquam potuit ad hanc societatem induci, & obtinuerunt à Summo Pontifice ut & civitates Ecclesie quæ sunt in Tuscia & Ducatu Spoleti se illis in hac societate jungerent, salvo semper in omnibus apostolicæ sedis dominio & mandato. Constituerunt ergo singulos Rectores de singulis civitatibus, & unum Priorem, cui tempore sui

*Vide lib. 1. epist. 15. 34.*

Prioratus omnes intenderent ad societatis negotia peragenda; omnésque, tam Rectores, quam alij, juraverunt quòd societatem servarent ad honorem & exaltationem apostolicæ sedis, & quòd possessiones & jura sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ bona fide defenderent, & quòd nullum in Regem vel Imperatorem recipere nisi quem Romanus Pontifex approbaret. Ab eo autem non potuerunt aliud nisi hujusmodi litteras obtinere.

*Lib. 1. epist. 401.*

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori & Rectoribus Tusciæ & Ducatus salutem &c. Sicut universitatis conditor Deus duo magna luminaria in firmamento cæli constituit, luminare majus, ut præfesset diei, luminare minus, ut nocti præfesset, sic ad firmamentum universalis Ecclesiæ, quæ cæli nomine nuncupatur, duas magnas instituit dignitates, majorem, quæ quasi diebus, animabus præfesset, & minorem, quæ quasi noctibus, præfesset corporibus. quæ sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas. Porro sicut Luna lumen suum à Sole sortitur, quæ revera minor est illo quantitate simul & qualitate, situ pariter & effectu, sic regalis potestas ab auctoritate pontificali suæ sortitur dignitatis splendorem; cujus conspectui quanto magis inhæret, tanto minori lumine decoratur, & quò plus ab ejus elongatur aspectu, eò plus proficit in splendore. Utraque verò potestas seu primatus sedem in Italia meruit obtinere, quæ dispositione divina super universas provincias obtinuit principatum. Et ideo licet ad universas provincias nostræ provisionis aciem extendere debeamus, specialiter tamen Italiæ paterna nos convenit sollicitudine providere, in qua Christianæ religionis fundamentum existit, & per apostolicæ sedis primatum sacerdotij simul & regni præminet principatus. Hujus autem provisionis officium laudabiliter exercemus si per nostræ sollicitudinis studium procuramus ne filij fiant servi, neque minores à majoribus opprimantur; ut servata moderaminis æquitate, sic isti serviant quòd illi non sciant, ut nec isti subesse contemnunt, nec illi contendunt præesse. Volentes ergo vos, tanquam speciales filios, apostolicæ protectionis brachiis amplectari, firmum gerimus in deliberatione nostra propositum ad divini nominis gloriam & apostolicæ sedis honorem, quantum cum nostra possumus honestate, vobis adversus oppressionis incursum & gravaminis insolentiam nostrum patrocinium exhibere; quatenus per apostolicæ protectionis auxilium in debito statu perseverare possitis, & inita jam concordia semper inter vos de bono in melius perseveret; sperantes & pro certo tenentes quòd vos nobis & Ecclesiæ Romanæ gratum semper devotionis & fidei debeatis obsequium impertiri; ut dum vos à nobis protectionis patrocinium susceperitis, & nos à vobis devotionis obsequium receperimus, utrinque grata debeat utilitas procurari. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus certam & firmam de nobis fiduciam obtinentes, qui, sicut apostolicæ convevit gravitati, plus facere quàm promittere vobis intendimus, ea semper agere studeatis quæ ad

honorem & profectum Ecclesiæ Romanæ proveniant, ut merito debeatis ipsius favoris dextera communiti.

XII. Post hæc dedit operam ad recuperandum Radicofanum, Aquampendentem, Montem Flaconem, atque Tuscanum; quæ tandem recuperavit non sine laboribus & expensis, liberans Aquampendentem ab Urbevetanis, qui eam acriter impugnabant. Misit præterea Nuntios & Legatos ad recuperandum Exarchatum Ravennæ, Brictonorium, & Terram Calvaca Comitum. Sed Archiepiscopus Ravennas asserbat Exarchatum antiquitus fuisse concessum à Romanis Pontificibus Ecclesiæ Ravennati, & privilegia ostendebat. Brictonorium quoque concessum fuisse de novo ab Alexandro Papa, dum Venetiis moraretur. Superfedit ergo Dominus Innocentius prudenter ad tempus magis quàm super hoc vellet aliquid experiri. Permissit tamen ut Archiepiscopus Ravennas, salvo jure apostolicæ sedis, recuperaret Brictonorium & teneret.

*Vide lib. 1. epist. 27.*

XIII. Cùm autem per Legatos suos ad hos specialiter destinatos requireret terram Comitissæ Mathildis à civitatibus detinentibus eam, licet ipse civitates vellent eandem per Romanam Ecclesiam sub certis pactionibus recognoscere ac tenere, quia tamen pactiones illæ convenientes non erant, noluit ex ipsa terra quicquam concedere, præter id quod concessit Episcopo Mantuano, differens in aliud tempus idoneum, quia tunc ei sollicitudo gravior supervenit ex divisione Imperij & turbatione regni Sicilia, quibus cum intendere principaliter oportebat.

XIV. Has autem munitiones ad manus suas Dominus Innocentius detinebat & custodiri faciebat per proprios Castellanos; in Tuscia, Radicofanum, Montem Flaconem, & Orelam; in Ducatu Spoletano, Gualdum, & Cese; in Sabina, Roccam Anticuli; in Campania, Sarianum, & Castrum; in maritima, Roccam Cicergij. Apud Palatium Montis Flaconis fecit fieri Capellam, & removeri domos post palatium usque ad muros castri, construens hinc inde parietes à palatio usque ad muros illos, & in muro faciens largam portam, ut haberet ipsa munitio ingressum, non solum communem per castrum, sed etiam proprium & specialem per illum locum. In Rocca de Radicofano fecit exaltari veteres muros, & novos construi, cavari fossatum, & locum bene muniri. Roccam verò Cicergij redemit à Rolando Guidonis de Leculo, cui Oddo & Robertus Fraiapanis in feudum concesserant; quamvis eam ab Ecclesia Romana tenerent solius custodiæ ratione. Patrimonium autem apostolicæ sedis in Tuscia diversis temporibus commisit regendum diversis personis, à quibus faciebat annuatim colligi fodrum per civitates & castra. In aliis autem regionibus proprium accipiebat \*affictum.

*\* Cod. reg. officium.*

XV. Duo verò nobiles Guido & Nicolaus temporibus suis & prædecessorum suorum graviter Romanam Ecclesiam offenderunt, vulnerando, capiendo, & spoliando venientes ad eam, & redeuntes ab ipsa. Unde cùm Dominus Papa non posset id ulterius sustinere, man-

clavit Reſtoribus patrimonij beati Petri ut procedentes in Tuſciam, eos, ſi moniti ſponte contemnerent ad mandatum ejus redire, coërcerent invito. Qui eos contemptores pariter & rebelles intra caſtrum Riſpanini obſederunt, vaſtantes ſegetes, & arbores incidentes, abducentes greges ipſorum, damnūque ipſis trium milium librarum & ampliū inferentes. Cūque pararent ligna, lapides, & cæmentum, ut ante præſatum caſtrum Riſpanini ad capiendū ipſum turrim ædificarent excelsam, prædicti nobiles protinus deſperantes, ad mandatum ejus humiliter redierunt, ſine aliqua conditione jurantes ſtare mandatis Domini Papæ ſuper factō Vetrallæ, Petrognani, ſtrate ſecuritate, mattolletis, & Eccleſiarum indemnitate, ac inſuper pacem ei, univerſis fidelibus ſuis peregrinis, & omnibus viatoribus fideliter obſervare, inſuper bene munitum reſtituere caſtrum Martiæ, dantes fidejuſſoriam cautionem mille librarum Senenſium ſuper omnibus ſupradictis. Inſuper Domino Papæ fidelitatem ſecundū morem & conſuetudinem aliorum fidelium juraverunt.

XVI. Circa verò ſuæ promotionis primordium Narnienſes Nutriculum graviter moleſtabant. Quod licet eis ſub interminatione interdicti & banno mille librarum firmiter vetuiſſet, ipſi tamen inhibitione contempta caſtrum illud ceperunt & deſtruxerunt. Idem verò Pontifex juſtus & fortis fecit exercitum contra illos tam de Romanis quàm de forinſecis congregari, per quem graviora ſunt quàm intulerunt damna perpeſſi; & tandem reædificato caſtro, bannum mille librarum ab illis accepit, jurantibus ejus ſtare mandatis, faciens ducentas libras præſtari pro reſtauratione murorum.

XVII. Quia verò longum eſſet explicare per ſingula quàm diligens & ſtudioſus extiterit circa patrimonium Eccleſiæ reformandum, ſufficiat dixiſſe pauca de multis, quia multa poſſunt excogitari de paucis; quamvis hanc ſolicitudinem quodammodo haberet exoſam, (Unde sæpe dicebat: *Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea*) maxime quia labor erat magnus, & fructus parvus, & propter excreſcentem malitiam homines non poterant facile coërceri.

XVIII. Ceterū quò ampliū cupiebat à ſecularibus negotiis expediri, eo magis eſt mundanis curis implexus. Deſuncto namque Rogerio filio Tancredi Regis Siciliae, quem pater in vita ſua Regem conſtituens fecerat coronari, eique filiam Iſacij Conſtantinopolitani Imperatoris duxerat in uxorem, conſequenter etiam pater ejus præ nimio, ſicut dicebatur, dolore deſunctus eſt, relinquens tres filias & unicum filium parvulum nomine Guillelmum, quem mater ejus Sibia coronari fecit in Regem. Regno igitur taliter deſtituto, Henricus Imperator adſpirans ad illud occaſione Conſtantiaæ conjugis ſuæ filia quondam Rogerij primi Regis Siciliae avi prædicti Tancredi, congregavit exercitum maximum de pecunia quam extorſit pro redemptione Richardi Regis Anglorum nequiter capti dum rediret de terra promiſſionis ab obſequio Crucifixi. Hic ergo regnum ingreſſus, ſine pugna il-

lud obtinuit, nemine reſiſtente. Præſara verò Sibia eum filio ſuo & filiabus, Salernitano quoque Archiepiſcopo & fratribus ejus, recepit ſe in quodam caſtello Siciliae; cum qua Imperator fecit de pace tractari; & concordaverunt pariter in hunc modum: Quòd Imperator interpoſito juramento conceſſit Guillelmo filio ejus & heredibus ſuis Comitatum Licij, quem pater ejus Tancredus habuerat ante regnum, & addidit ei Principatum Tarenti, promittens ſalvare perſonas & res. Mox autem poſtquam eos in ſua poteſtate habuit, occaſione captata cepit illos & quofdam alios nobiles regni, eòſque captivos in Theutoniam deſtinavit, faciens fratres præſati Archiepiſcopi aliòſque nonnullos privati luminibus oculorum, Archiepiſcopum verò, Reginam, & filium ac filias, in arcta cuſtodia detineri. Frater autem Imperatoris Philippus reliquam præſati Rogerij filiam Imperatoris Conſtantinopolitani duxit uxorem; quam frater ejus Alexius luminibus orbans, Conſtantinopolitanum Imperium uſurpavit.

XIX. Henricus igitur Imperator, ex quo regnum Siciliae totum obtinuit, ſpolians illud auro & argento & lapidibus pretioſis, rediit in Theoniam cum ingenti triumpho, efficiens apud Principes ut filium ſuum Federicum infantem nondum duorum annorum, necdum etiam baptizatum, in Regem Romanorum eligerent, eique fidelitatis juramenta præſtarent; inter quos præſatus Philippus fidelitatis ei præſtitit juramentum.

XX. Quo factō, iterum venit Imperator in regnum, & tandem apud Meſſanam præſente Imperatrice diem clauſit extremum. Poſt cujus obitum quidam familiares ejus exeuntes de regno, Marchualdus acceſſit in Marchiam, Conradus rediit in Ducatum, Philippus autem frater ipſius recepit ſe apud Montem Flaſconem, & inde rediit in Theoniam, patrimonium occupans univerſum. Remaſerunt autem in regno aliqui de Theonicis, in Sicilia Guillelmus Caparonus, in Calabria Fredericus, in Apulia & Terra Laboris Dupuldus & fautores ipſius, multas munitiones tenentes.

XXI. Poſt mortem Imperatoris, infra tres menſes obiit Celeftinus, & ſubſtitutus eſt Innocentius, rebus taliter & aliter variatis. Imperatrix verò Conſtantia reverſa Panormum, miſit ad Duciam Spoleti, quæ filium ſuum in Marchia nutriebat, & perductum ad ſe coronari fecit in Regem, cæpitque cum illo regnare. Direxit autem incontinenti nuntios cum muneribus ad Dominum Innocentium, devotiſſimè poſtulans ut regnum Siciliae, Ducatum Apuliae, & Principatum Capuæ, cum ceteris adjacentiis, ſibi & filio ſuo concedere dignaretur ſecundū formam qua prædeceſſores ejus conceſſerunt illa prædeceſſoribus ſuis. Ipſe verò ſagaciſſimus Pontifex diligenter attendens quòd privilegium conceſſionis indultum primò ab Adriano, & renovatum poſtmodum à Clemente, ſuper quatuor capitulis, videlicet electionibus, legationibus, appellationibus, & Conciliis, derogabat non ſolum apoſtolicæ dignitati, verum etiam eccleſiaſticae libertati, mandavit Imperatrici ut illis capitulis

Vide lib. 1. epiſt.  
24. 25. 26.

renuntiaret omnino, cum ea non esset aliquatenus concessurus. Tentavit illa propositum ejus muneribus immutare. Quod cum efficere nequisset, missis honorabilibus nuntiis, Anselmo Neapolitanensi Archiepiscopo, Aimerico Syracusanensi Archidiacono, Thoma Justitiario, & Nicolao Juce, post tractatum diutinum obtinuerunt concessionis privilegium innovari, capitulis illis omnino remotis, sub censu, fidelitate, ac hominio consuetis. Privilegium non pervenit ad illam mortis accelerationem præventam.

XXII. Idem verò piissimus Pontifex ad liberationem captivorum clementer intendens, præsertim cum per detentionem Salernitanensis Archiepiscopi nimis detraheretur apostolicæ dignitati, statim circa suæ promotionis primordium misit Sutrinum Episcopum, natione Theotonicum, & Abbatem sancti Anastasij Cisterciensis ordinis, in Theutoniâ, scribens Episcopis quatenus detentores eorum monerent, & si necesse foret, compellerent per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, ut illos dimitterent absolutos; comminando Principibus universis quod nisi ad hoc impenderent operam efficacem, ipse totam Alamanniam supponeret ecclesiastico interdictione. Quia verò Celestinus Papa prædecessor suus excommunicaverat præfatum Philippum Ducem Sueviæ, dum esset Dux Tusciæ, propter invasionem & devastationem apostolici patrimonij, & excommunicationem illam publicari fecerat etiam Henrico Imperatori, hanc formam dedit super ipsius absolutione præfatis Episcopo & Abbati, ut quia superioris sententia per minorem relaxari non potest, & ob hoc oporteret eundem Philippum accedere ad sedem apostolicam absolvendum, ipsi tamen hoc modo remitterent ei laborem itineris, si præfatum Archiepiscopum liberaret, & recepto secundum formam Ecclesiæ juramento quod super omnibus pro quibus excommunicatus fuerat mandatis apostolicis obediret, absolutionis ei beneficium exhiberent. Illi ergo in Theutoniâ procedentes, invenerunt supradictum Philippum à quibusdam Principibus electum in Regem. Qui Guarmatiam ad ipsos accedens, de facto se fecit absolvi, non publicè, sed occultè, nec præstito juramento secundum formam Ecclesiæ, sed promissione facta per stolam. Præfatum tamen Archiepiscopum & fratres ipsius gratuito liberavit. Post modicum autem idem Philippus fecit se inungi & coronari, non Aquisgrani, sed Maguntie, nec à Coloniensi Archiepiscopo, sed à Tarentasiensi, quia nullus Archiepiscoporum Theutoniæ id facere attentavit. Sed nec aliquis Episcoporum qui fuerunt in illa coronatione præsentibus, pontificalibus indui præsumperunt, præter solum Sutrinum, qui ad illud fuerat destinatus. Unde cum ad Summi Pontificis præsentiam rediisset, veritate per propriam confessionem comperta, tum de forma neglecta, tum de præsumptione commissa, fecit eum extra suum episcopatum usque ad finem vitæ manere. Pro prædictis verò captivis, licet jam liberatis, adhuc tamen exilibus, rogavit Imperatricem per nuntium ad hoc specialiter destinatum, eisque restitutionis gratiam impetravit. Sed & Sibia relicta Regis Tan-

credi cum filiabus suis ergastulum captivitatis evasit, & in regnum Francorum confugiens, primogenitam suam Gualtero Brenensi Comiti tradidit in uxorem.

Coloniensis autem Archiepiscopus & quidam alij Principes tam ecclesiastici quam seculares, videntes se in electione Philippi fuisse contemptos, vocaverunt Othonem filium quondam Henrici Ducis Saxonie, Comitum Pictavensem, & apud Coloniâ elegerunt in Regem; cumque Coloniensis Archiepiscopus coronavit solemniter Aquisgranis; & sic facta est divisio in Imperio longo tempore duratura. Nam Othoni adhæserunt Coloniensis Archiepiscopus & suffraganei universi. Præterea Cameracensis, & Paderburgensis, & illi deservientes Episcopi. Necnon Bremensis Archiepiscopus, Dux Lovaniæ, Dux Lumburgo, Comes Palatinus Rheni, Lantgravius Thuringiæ, multique Comites, itaque terram obtinuit ultra Mosellam à Cameraco usque Vidanam penè totam. Philippo verò reliqua terra cum ceteris Principibus se submisit; quamvis nec isti nec illi firmiter adhererent, sicut ex postfacto patebit.

XXIII. Interim autem Constantia Imperatrix cognoscens quod perfidus Marcialdus machinabatur invadere regnum, diffidavit eundem, & mandavit per litteras suas eum tanquam hostem Regis & regni ab omnibus evitari. Habebat etiam valde suspectum Gualterum Troianum Episcopum, regni Siciliae Cancellarium; ita quod subtraxerat illi sigillum, (Nam & fratres ipsius reducerunt Marcialdum) sed ad multam intercessionem Summi Pontificis recepit illum in gratiam, ita quod cum eadem Imperatrix parum post annum à morte Imperatoris ageret in extremis, statuit eum familiarem regium cum Panormitanensi, Montis-Regalis, & Capuano Archiepiscopis; balium verò regni Domino Papæ dimisit ab omnibus juramento firmandum, quoniam ad eum spectabat tanquam ad dominum principalem; constituens ut singulis annis durante balio perciperet de proventibus Regis triginta millia tarenorum, & si quas expensas pro regni foret defensione facturus, omnes sibi ex integro redderentur; sicque debitum carnis exsolvit, Rege pupillo in familiarium custodia derelicto. Marcialdus autem regressus in regnum, ad occupandum illud totis viribus intendebat, præterens quod ex testamento Imperatoris ipse debebat esse Balium Regis & regni. Statim ergo Dominus Papa Gregorium sanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem Legatum in Siciliam destinavit, ut ibi cum familiaribus Regis de regni negotiis ordinaret. Qui profectus, recepit ab eis balij juramentum, & fecit illud ab aliis per Siciliam exhiberi. Verum quia non bene intendebatur ei à familiaribus Regis, & præsertim à Cancellario, qui dedignabatur eum superiorem habere, cum & omnes non regis sed propriis utilitatibus infudarent, post non multum temporis ad sedem apostolicam est reversus, nuntiis cum litteris Regis per regnum transmisissis ut ab omnibus Domino Papæ juramentum balij præstaretur. In Terram verò Laboris Dominus Papa direxit Johannem Titulifancti Stephani in Cælio monte Presbyte-

Hæc non extant in codice regio.

Lib. 1. epist. 15.

rum & Girardum sancti Adriani Diaconum Cardinales, ut civitates, Comites, & Barones inducerent ad resistendum perfido Marcualdo, qui congregato exercitu intendebat in primis capere monasterium Casinense, ut ingressum regni liberum obtineret. Cum ergo Casinensis Abbas in instanti necessitatis articulo Summi Pontificis auxilium imploraret, misit nobilem virum Landonem de Montelongo, consobrinum suum, Rectorem Campaniæ, cum quingentis penè militibus & centum archariis conductis ad solidos, qui cum præfatis Cardinalibus receperunt se in villa sancti Germani, ut eam defenderent contra impetum Marcualdi. Homines autem ipsius villæ, tanquam pusillanimes & imbelles, illo veniente fugerunt ad montem Casinum cum filiis & uxoribus suis; & post eos, Cardinales & milites discesserunt. Cardinales verò cum habitatoribus mille infra monasterium sunt recepti, & milites eum archariis se in vallo ante monasterium receperunt, quos capta villa & spoliata Marcualdus obsedit, æstimans eos ad deditionem posse compellere propter inopiam victualium aliorumque necessarium defectum. Quo audito, Summus Pontifex vehementer doluit; statimque misit Jordanum Tituli sanctæ Pudentianæ Presbyterum Cardinalem & Octavianum Subdiaconum consobrinum suum, cum unciis auri mille quingentis, ad Petrum Comitum Celanensem, ut cum eo, prout melius possent, efficerent quatenus obsessis saltem in victualibus subvenirent. Ipse verò aurum recepit, & distribuit illud militibus suis, propriam magis utilitatem quam obsessorum necessitatem attendens. Nam vix tandem fecit illuc intronitari aliquas faumas farinæ. Sed illi, licet in multa penuria & timore essent, restiterunt tamen viriliter & constanter; ita quòd cum quosdam corrupissent pecunia de exercitu Marcualdi, & ad suum præsidium attraxissent, idem Marcualdus post duos menses ab obsidione recessit, aliquisque malo fuit usus in illo. Nam capta villa, & fugatis militibus, tantus omnes terror invasit quòd si cum illo triumpho protinus processisset, penè nullos invenisset suæ malitiæ resistentes. Sed interim timore sedato, spiritumque resumpto, ad resistendum ei se plurimi paraverunt. Ille verò non solum viribus sed & fraudibus insistebat, ut præconceptam malitiam duceret ad effectum; & licet quosdam viribus superasset, alios verò fraudibus decepisset, non tamen potuit prævalere, cum Summus Pontifex obstaculum sibi poneret in omnibus viis suis. Sperans autem quòd eum posset inclinare promissis, per Conradum Maguntinensem Archiepiscopum de Hierosolymitanis tunc partibus redeuntem & sæpe per alios secretè fecit & cautè tentari utrum eum posset oblatione munerum mitigare, promittens quòd si solummodo ab ejus impedimento cessaret, quamvis nullum sibi præstaret auxilium, incontinenti daret ei valentiam auri viginti millium unciarum, & postquam obtinisset Panorum, totidem sibi auri uncias exhiberet, ligiam sibi fidelitatem præstaret, duplicaret censum, & multiplicaret obsequia quæ Romani Pontifices de regno Siciliae consueverunt habere, ipsumque regnum ab apostolica sede immediatè teneret.

Nec dedebat obstare quòd Summus Pontifex Regem infantulum in sua cura susceperat; quia, sicut ipse firmiter asserbat, puer ille nec Imperatoris nec Imperatricis filius fuerat, sed suppositus parvus. quod testibus adstruere promittebat. Porro Summus Pontifex tantam ipsius iniquitatem attendens, promissiones & oblationes ipsius execrabiles judicavit. Cumque non posset hoc modo proficere, ad aliam se fraudem convertit, proponens quòd reconciliari vellet ecclesiasticæ unitati. Sed cum fuisset illi responsum quòd oporteret eum juramento firmare ut super omnibus pro quibus excommunicatus erat mandatis apostolicis obediret, respondit quòd in spiritualibus absolutè pareret, in temporalibus autem justis mandatis parendi præstaret juratoriam cautionem. Quòd cum sibi fuisset asserturn quia propter eum consuetæ forma jurandi nullatenus mutaretur, tandem in scriptis promisit quòd super omnibus pro quibus excommunicatus erat juraret absque pacto quolibet & teneret se universis mandatis apostolicis pariturum. Licet autem Dominus Papa fraudem ipsius haberet valde suspectam; quia tamen redire volentibus non est aditus Ecclesiæ obserandus, misit Verulas in Campaniam Octavianum Ostiensem Episcopum & Guidonem sanctæ Mariæ Trans Tyberim Presbyterum ac Hugolinum sancti Eustachij Diaconum Cardinales, ut dictum Marcualdum illuc ad eorum præsentiam accedentem sub forma reciperent superscripta. Qui cum venisset, post multas altercationes prædicto modo juravit, rogans Episcopum & Cardinales prædictos ut ad faciendum mandatum descenderent ad monasterium Casemarij, dictæ civitati vicinum, ut coram sociis suis, quorum illic remanserat multitudo, audiret usus hac fraude, ut cum à loco munito ad locum descenderent immunitum, non auderent ei grave proferre mandatum. Acquievit Ostiensis Episcopus, seductus consilio nobilis viri Leonis de Monumento consobrini sui, qui reconciliationis hujusmodi fuerat mediator. Acquieverunt & alij, licet improvidè ipsius Ostiensis Episcopi persuasione seducti. Cumque ad præfatum monasterium descendissent, paratum est illis convivium, in quo præfatus Marcualdus eis accuratissimè deservivit, & sub finem convivij submurmuratum est quòd capi deberent, ut sic terri mandatum quòd displiceret illi facere non auderent. Vehementer ergo confusi, quid facerent ignorabant. Sed præfatus Hugolinus sancti Eustachij Diaconus Cardinalis, resumpto spiritu fortitudinis, coram omnibus qui convenerant ad audiendum mandatum, protulit scriptum Bulla Domini Papæ munitum, in quo mandatum, quòd illi faciendum erat, continebatur expressum; & ait: Ecce mandatum Domini Papæ. Nos aliud facere non valemus. Hanc autem cautelam Summus Pontifex adhibuerat, tum propter se, tum propter illos. Mandatum est ergo illi, sicut continebatur in scripto, sub debito præstiti juramenti, ut à balio regni, invasione quoque ac molestatione per se ac suos omnino desisteret, nec ipsum aut patrimonium beati Petri aliquatenus molestaret, universa quæ de regno per se vel suos violenter



Lib. 2. epist. 167.

ac fraudulenter invaserat restitueret quæ haberet; quæ verò detinerentur ab aliis, pro posse suo restitui faceret bona fide; super damnis autem & injuriis irrogatis, præsertim Ecclesiæ Romanæ ac monasterio Casinensi, satisfaceret competenter secundum dispositionem Summi Pontificis & proprias facultates; in Clericis & viros ecclesiasticos manus de cetero non injiceret nec injici faceret violentas; Cardinales & Legatos apostolicæ sedis nec spoliaret nec caperet, nec spoliari nec capi faceret, aut etiam obsideri; nisi forsân, impugnatus ab eis, in defensionem propriam id facere cogeretur; non quod id ei diceret tunc licere; sed quia hoc ei non interdicebat ex debito juramenti.

XXIV. Audit mandato, factus est ingens tumultus in populo. Sed ipse Marcualdus, quamvis valde commotus, non tamen permisit ut in Cardinales committeretur aliquid inhonestum; quin potius usque Verulas eos in propria persona conduxit, proponens quod ad præsentiam Summi Pontificis vellet accedere, ut ei quædam secretissima patefaceret quæ nulli alij revelaret. Unde petebat ut præscriptum mandatum interim suspendere dignarentur. Litteras tamen suo sigillo munitas in testimonium destinavit quod præscriptum juramentum præstiterat, & mandatum receperat supra scriptum.

Lib. 2. epist. 175.

Sed ad vomitum rediens, post absolutionem suam litteras Domino Papæ direxit, in quarum salutationis alloquio fraudem ejus perpendit, in eo quod salutatio talis erat: *Reverendo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia sanctæ Romanæ sedis Summo Pontifici, Marcualdus Imperij Senescalcus &c. salutem & obedientiam tam debitam quam devotam.* Et in aliis sic erat expressum: *Marcualdus Imperij Senescalcus, & id quod est devotum obedientiæ famulatum;* tanquam nec ex toto supprimeret nec exprimeret manifestè quod regni Balii & Procurator existeret, sicut se priùs in suis litteris consueverat appellare.

Lib. 2. epist. 179.

Misit etiam litteras, non solum intra regnum, sed extra, significans quod ipse reconciliatus erat Summo Pontifici, tantamque gratiam in oculis ejus invenerat quod concesserat ei ut balium regni gereret, & duos ei deputaverat Cardinales, qui ad intendendum sibi compellerent universos. Super quibus cum redargutus fuisset à Cardinalibus, apertè rescripsit quod nec pro Deo nec pro homine mandatum quod sibi fecerat Summus Pontifex observaret. Unde Dominus Papa per totum regnum nuntios & litteras destinavit, significans totum processum negotij, & ipsius perfidiam manifestans, districtè præcipientis universis ut eum, tanquam excommunicatum, perjurum, hostem, & proditorem vitarent.

Ipse verò cognoscens se sua intentione fraudatum, cæpit subtiliter machinari qualiter posset in Siciliam transfretare, suam ibi nequitiam liberius impleturus. Et cum quosdam sibi comparasset fautores, transivit, & cæpit mala quæ poterat operari, dimittens suæ iniquitatis complices & fautores, Diupuldum, Otthonem & Sifridum fratres ipsius, Conradum Sorellæ, Otthonem de Laviano, & Fredericum Maluti, & quosdam alios, multas ex hac parte Phari mu-

nitones tenentes, qui omnes cum illo de vanitate convenerant in idipsum. Cum ergo per illum mala super Siciliam multiplicari cæpissent, familiares Regis ad Summum Pontificem clamare cæperunt ut eis cum exorcio mitteret prote-ctorem. Misit igitur C. Tituli sancti Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum & nobilem virum Jacobum consobrinum & Marscalcum suum cum ducentis militibus pecuniaria mercede conductis; quibus adjunxit Anselmum Neapolitanensem & Angelum Tarentinensem Archiepiscopos, viros industrios & prudentes, quorum studio & consilio uterentur. Qui profecti, Fredericum in Calabria conpreslerunt totam provinciam devastantem; & inde pervenerunt Messanam civitatem Ecclesiæ fidelissimam, quæ nunquam in hac tempestate à via regia declinavit.

Lib. 2. epist. 211.

XXV. Interim autem Gualterus Comes Brenensis, qui primogenitam filiam Regis Tancredi duxerat in uxorem de captivitate ergastulo cum matre & sororibus redeuntem, vir utique fortis, nobilis, strenuus, & magnanimus, ad apostolicam sedem accessit, postulans humiliter & instanter justitiam sibi fieri de his quæ ad uxorem ejus in regno Siciliae pertinebant. Constabat enim quod pater ejus Rex Tancredus regnum Siciliae obtinuerat, & post eum filius ejus Vuillelmus in regni solium fuerat sublimatus; cui Henricus Imperator tempore Celestini Papæ abstulit regnum, & sic tandem cum illo composuit quod concessit ei & heredibus suis Comitatum Licij & Principatum Tarenti, concessionem hujusmodi tam suo quam suorum juramento confirmans. Sed postquam eum, matrem, atque sorores ipsius in sua obtinuit potestate, captivos in Theoniam destinavit; de qua vix tandem, ipso puero in captivitate defuncto, mater & sorores ejus per mandatum apostolicum evaserunt. Cæpit ergo Dominus Papa multipliciter dubitare quid ei super petitione prædicti Comitis esset agendum. Nam ipse Comes Frederico puero Regi Siciliae filio prædicti Imperatoris videbatur non immerito esse suspectus, tanquam qui suorum intenderet injuriam vindicare. Sed è contrario dubitabat ne si omnino ipsius Comitis repelleretur petitio, ipse se Regis hostibus jungeret, & sic fieret error novissimus pejor priore. Deliberavit igitur diligenter, non solum cum Cardinalibus, sed & cum aliis viris prudentibus; & in hoc tandem universorum resedit consilium ut jus quod uxor prædicti Comitis ex concessione Imperatoris habebat in Comitatu Licij & Principatu Tarenti recognosceretur illi, ne justitiam denegaret. Ut autem contra suspicionem præfato Regi caveret, in publico Consistorio, adstante multitudinem copiosa, subscriptum ab ipso Comite juramentum recepit. Et ne familiares Regis scandalizarentur ex hoc, si fortè antequam eis hujusmodi facti causam exponeret concessisset præfato Comiti litteras pro Principatu Tarenti & Comitatu Licij obtinendo, protinus misit eis litteras in hunc modum.

Nuper dilectus filius nobilis vir Gualterus Comes Brenensis cum nobili muliere S. relicta quondam Regis Tancredi & filia ipsius uxore sua

sua, cum Militibus etiam & aliis multis, ad apostolicam sedem accedens, ex parte ipsius uxoris suæ ac sororum ejusdem petitionem nobis offerre curavit super assignando sibi Principatu Tarentinensi & Comitatu Licenti vel justo excambio pro ipso Comitatu, juxta concessionem quam Henricus quondam Imperator super iis Vvillmo quondam filio Regis ejusdem & ipsius heredibus fecisse publicè noscebatur, cum contra eum nec idem Vvillmus nec sorores ipsius in aliquo deliquissent, utpote qui ætatis beneficio excusantur. Nos igitur ejusdem Comitatus nobilitatem & potentiam attendentes, cum etiam eum multi sequantur, & plures sint in proximo sequuturi, utpote quem dilecti filij Campaniæ & Flandriæ Comites proxima linea consanguinitatis attingunt, qui jam crucis signaculum assumpserunt in Terræ sanctæ succursum & ipsius Comitatus subsidium profecturi, deliberavimus quid esset agendum, utrum scilicet eum ad Regis traheremus obsequium, an pateremur hostilem animum assumere contra regnum. Cognoscetes ergo petitionem ipsius secundum ea quæ intelleximus esse justam, favorem ei apostolicum super ipsa petitione duximus impendendum; ne si ei forsitan justa negaremus, quasi desperans regni hostibus adderetur, vel per seipsum fortior Regis fieret inimicus, & fieret error novissimus pejor priore. Procuravimus igitur & obtinuimus apud ipsum studio diligenti, multa consilij deliberatione præhabita, quod exhibuit nobis supra crucem & reliquias juratoriam cautionem quod nec per se nec per alium machinabitur quicquam contra personam Regis, honorem ipsius, & regnum Siciliæ; sed cum assequetur Principatum & Comitatum prædictos, vel justum excambium, ad mandatum nostrum præstabit eidem Regi fidelitatem, & hominum exhibebit, & nobis tam Regis tutelam quam regni balium assecrabit proprio juramento, & quod bona fide pro posse suo ad defensionem Regis & regni studebit contra hostes ipsius, nominatim contra Marcualdum, Diupuldum, Oddonem de Lavanio, & fautores ipsorum. Similiter autem S. uxor & filia quondam Regis Tancredi, uxor ipsius Comitatus, juraverunt quod id quantum in eis est fideliter observabunt & procurabunt apud eundem Comitem ut inviolabiliter observentur. Quod si forsitan contra præstitum juramentum idem Comes vel uxor ipsius per se vel alium quacunque tentaret occasione venire, præter reatum perjurij, excommunicationis in personas & interdicti sententiam in terram incurrerent, & ab omni jure, si quod eis non solum in prædictis terris sed & in regno etiam competeret, caderent omnino. Super quibus omnibus fideliter observandis fidejussores idoneos idem Comes nobis quos poterit exhibebit. Volentes igitur honori vestro deferre prius quam ei Principatum & Comitatum prædictos vel justum faceremus aut etiam mandarem excambium assignari, id vobis duximus intimandum, ut præter vestram conscientiam non agatur; fraternitatem vestram monentes & exhortantes in Domino, ac per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus infra vos ipsos diligentius attendentes

Tom. I.

& justitiam & potentiam Comitatus antedicti, qui per se ac suos Regi ac regno poterit utiliter deservire, & hostes ipsius potenter ac viriliter expugnare, necessitatem quoque regni & egestatem, quod peccatis exigentibus non solum supervenientem sed nec etiam imminentem persecutionem sufficit sustinere, procuretis prudenter & cautè ut quod ad justitiam ejus pertinere dinoscitur, sine turbatione qualibet compleatur; scituri quod idem Comes, quem experimento cognovimus esse virum industrium & prudentem, & quem Deum timere credimus, & præ omnibus animæ suæ affectare salutem, nobis firmiter reptomisit quod tantum ac tale, dante Domino, Regi & regno contra hostes suos servitium exhibebit quod non solum ab eo non molestabitur super istis, sed majora merebitur obtinere. Quod si forsitan vobis visum fuerit ut amplius per eundem Comitem possimus Regi & regno cavere, id per vestras nobis litteras intimetis; ut de consilio vestro cautionem quam expedire videritis exigamus ab ipso, & recipiamus exactam.

Cum autem Gualterus Trojanus Episcopus, regni Siciliæ Cancellarius, apud Messanam has litteras recepisset, commotus est vehementer; & convocato populo, intentionem Summi Pontificis in impetu spiritus modis quibus potuit studuit depravare, magis sibi timens quam Regi; quia cum ipse cum omnibus suis semper opposuisset se Regi Tancredo, verebatur ne præfatus Comes, qui filiam ejus duxerat in uxorem, si potens efficeretur in regno, in eum & suos se acriter vindicaret. Memoratus verò Comes, uxore ac socru dimissis, in Franciam est reversus, ut exercitu congregato veniret ad obtinendam terram præscriptam & ad hostes regios expugnandos.

XXVI. Interea Marcualdus, attractis sibi Sarracenis Siciliæ, multisque sibi nobilibus sociatis, in tantum profecit quod obtentis multis civitatibus & castellis, venit usque Panormum, & civitatem ipsam fortiter impugnabat. Unde oportuit Legatum & Marefscalum Summi Pontificis, qui Messanæ cum præfato Cancellario morabantur, accelerare Panormum. Quid autem de ipsorum adventu provenerit, litteræ Anselmi Neapolitanensis Archiepiscopi ad Dominum Papam transmissæ testantur; quarum tenor est talis.

Bona quæ vestrarum orationum intervenientibus meritis operatus est Dominus his diebus, vobis Domino meo, sicut vidi propriis oculis, studui declarare. Noverit itaque sanctitas vestra me cum tribus galeis & uno buffio Apulorum, qui me vestri gratia cum Magistro Bartholomæo scriptore vestro & mea tota familia horificè perduxerunt, feliciter applicuisse Panormum, die videlicet decimaseptima præsentis mensis Julij; quo etiam die, sicut Domino placuit, & hora eadem, Dominus Cardinalis cum Dominis omnibus Curie, excepto Cataniensi, & exercitu regio pariter pervenerit Panormum. Factum est autem gaudium in civitate, pro eo præcipue quod occasione Marcualdi nequissimi, qui eam cum Sarracenorum gente nefaria per viginti dies continuos tenuerat strictè nimis & derinebat obsesam, summa jam videbatur inopia laborare. Die

b

ergo eodem exercitus Regis extra civitatem, in viridario scilicet Regis quod dicitur Januardum, castra sunt posita, ut statim die sequenti campalis fieret cum inimico congressio. Sed homo versutus & callidus, mox ut applicuisse praesentis exercitum, per Rainerium de Manente verba pacifica transmisit in dolum, ut partis nostrae, si posset, infirmiora cognosceret, & quas de hora praestolabatur in horam vires interim recipiens cumularet. Noverat etiam pecuniae nostrae defectum, & quod propter importunam murmurationem stipendiatorum & instantiam belli erat nobis periculosa dilatio. Et ideo verbis detinendo sive decipiendo nos dulcibus illaqueare credebat; fecissetque votis satis, praesertim cum jam audientium animos ad pacis suae concordiam inclinasset, nisi consilia Principum Dominus desuper, qui novit omnia antequam fiant, & cogitationes hominum à longè considerat, dissipasset. Omnibus enim diversis & variis linguis quae in exercitu erant regio congregata voluntatem & vocem contulit uniformem, ut omnes unanimiter dicerent, omnes una voce clamarent: Pacem excommunicati respicimus, inimici Dei & hominum concordiam penitus sine omni consilio refutamus. Verum propter haec verba nec ille pacem suam desistebat expetere, nec tractatores nostri quae ab eo proponebantur seu postulabantur audire. Et cum ferè finis jam esset, & murmurantibus omnibus pax consummari deberet, quae nostrae partis pro certo continere videbatur incommodum, nec ad nostrum spectabat honorem, Magister Bartholomaeus scriptor vester, qui nostram & Ecclesiae Dei injuriam aequanimiter tolerare non potest, audiens quod ista concordia in odium contemptumque vestrum fieri debebat, & quod etiam toti regno poterat esse damnosa, litteras prohibitionis vestrae produxit in medium, & ubi, praeter devotissimum vestrum Dominum Montis Regalis, tres erant alij Domini congregati pro tractanda immo perficienda dicta concordia, videlicet Cancellarius, & Domini Messanenensis & Cephaludensis, praesente jam dicto Raynerio nuntio Marcualdi, protulit & assignavit litteras vestras, firmiter prohibens eis, juxta tenorem mandati, ut cum Marcualdo nequissimo pactum non facerent neque finem. Factum est itaque ut tum pro mandato vestro, tum quia totius exercitus & populi Panormitani tumultus nimis crescebat & murmur, post diem quartum inter Panormum & Montem Regalem, quem Marcualdus vi ceperat & tenebat, ab hora Tertiae usque ferè ad Nonam fuit hinc inde fortissimè praelium, & tandem, sicut Domino placuit, promerentibus sanctis orationibus vestris, post multas partis adversae strages, mutilationes, & caedes, per egregij viri Domini Marefcalci vestri subsidium, qui cum suis in extremo locatus castellum tenebat, immo ipse castellum erat exercitus, optatum habuimus de inimico triumphum. Ut enim aliquantulum plenius eloquar, primi nostri, qui erant in prima belli facie constituti, licet in primis viriliter fecerint, quamplures prostraverint & occiderint, multitudinem tamen illorum qui in ipsos insimul irruerunt non valentes sustinere, bis terga dedisse coacti sunt, & be-

nedictus à Domino Marefcalcus bis eos recepit & defendit incolumes; & dum nimis urgeret ac premeret Theutonicorum & Agarenorum pars alia, benedictus à Domino Marefcalcus & sui unanimiter & animosè congressi, in hora una, in puncto uno, castra verterunt, fugaverunt, receperunt, ceciderunt, & occiderunt, lequentes & persequentes, donec illi qui gladium evaserunt, loca castrorum cum omnibus tentoriis & rebus suis desererent, & se per aspera montium, per concava vallium & defossa terrarum dispergerent, & in viam perditionis abirent. Quidam autem Pisani, ut dictum est, numero quingenti vel amplius, quibus quidam praerat nomine Benedictus, qui & ipse Pisanus, Montis Regalis montana tenebant, & infinita Sarracenorum multitudo erat ibi cum eis ad custodienda loca debilia constituti. Sed quam primò nuntiatum est bellum, pedites nostri cum Comite Gentili & Comite Malgario & quibusdam Militibus aliis potenter ascenderunt, transcendunt, & obtinuerunt montana, & omnes ferè quot ibi inventi sunt in ore gladij posuerunt. Benedictus autem ille qui praerat, cum paucis dicitur evasisse. Sed & quidam Sarracenus nomine Magded, qui omnium erat Magister & Dux, ibi quoque truncatus & mortuus fuit. Marcualdus verò quò & cum quot aut quibus de suis aufugerit, adhuc nescitur. Scimus autem quia ille nuper hominum & diaboli mediator Rainerius de Manente captus est, & in carcere positus, & multi alij de majoribus & melioribus, quorum nomina nescio, de exercitu Marcualdi. Quot autem & qui sunt occisi, nescimus. Scimus autem multos & optimos fuisse. Spolia eorum multa & pretiosa fuerunt, ita quod totus ille dies vix ad exportandum sufficit. Haec est ergo, Domine, dies quam fecit Dominus, optatae redemptionis & laetitiae; dies in quo magnificatum & benedictum est nomen vestrum; dies, inquam, quae & nobis de hoste victoriam contulit, & viro egregio Marefcalco cum omnibus suis nomen acquisivit aeternum. Faciat Deus ut ei respondeatur secundum merita sua bona, immo praclarata opera sua. Vobis autem eum non commendo, quia opera sua valde bona eum apud vestram magnificentiam recommendant.

XXVII. In hac fuga perdidit Marcualdus universam supellestem suam; & inventum est in quodam scrinio testamentum Imperatoris Henrici aurea bulla signatum, in quo inter cetera haec de verbo continebantur ad verbum. *Imperatrix consors nostra, & filius noster Fredericus, Domino Papa & Ecclesiae Romanae exhibeant omnia jura quae à Regibus Siciliae consueverunt habere, & Domino Papa securitatem faciant. sicuti Reges Siciliae Summo Pontifici & Romanae Ecclesiae facere consueverunt. Si verò praedicta consors nostra promoreretur, filius noster secundum ordinationem suam remaneat. Et si filius noster sine herede decesserit, regnum Siciliae ad Romanam Ecclesiam deveniat. [Si verò filius noster promoreretur, dilecta consors nostra regnum in vita sua teneat; & post mortem suam regnum Siciliae ad Romanam Ecclesiam deveniat.] De Imperio ordinamus quod Dominus Papa & Ecclesia Romana il-*

Vide Baron. ad an. 1197. §. 9.

Haec desunt in codice regio.

Vide lib. 1. de sum. sac. & reg. 1. §. 7.

lud filio nostro confirmet; & pro hac confirmatione Imperij & regni volumus quòd tota terra nostra Comitissa Matbildis restituatur Domino Papa & Romana Ecclesia, præter Medisnam & Argelatam cum earum pertinentiis. Et insuper ordinamus & volumus ut tota terra de Ponte Payle, cum monte Fortino, liberè dimittatur Domino Papa usque Ceperanum, & quòd Ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis. Insuper præcipimus Marcualdo Senescalco nostro ut Ducatum Ravenna, terram Brittonorij, & Marchiam Anconitanensem recipiat à Domino Papa & Romana Ecclesia, & recognoscat etiam ab eis Medisnam & Argelatam cum suis pertinentiis. De quibus omnibus bonè securitatem ei juret, & fidelitatem ei faciat, sicut domino suo. In morte verò sua, si sine herede decesserit, Ducatus Ravenna, terra Brittonorij, & Marchia Ancona, Medisina, & Argelata cum suis pertinentiis in dominio Romana Ecclesia remaneant.

XXVIIII. In tantum autem præfati Marefcalci strenuitas & prudentia, non solùm Regi & familiaribus ejus, verùm etiam universis Comitibus & Baronibus & omnibus tam indigenis quam extraneis grata extitit & accepta ut ei communi omnium consilio & favore Comitatus Andriæ donaretur, regali privilegio aurea bulla munito super ipsius sibi concessione collato. Quia verò familiares Regis necessarias sibi & suis denegabant expensas, & propter nimium ætatis ardorem milites sui jam inceperant graviter infirmari, compulsus est ad propria remeare; multamque pecuniam Dominus Papa fecit militibus elargiri, tum pro stipendiis & muneribus, tum pro equis & armis; quoniam propter quasdam expensas quas fecerant in Sicilia, nihil penitus à Regis familiaribus acceperunt.

XXIX. Tunc temporis defuncto Panormitanensi Archiepiscopo, metropolis Panormitana vacabat; ad quam præfatus Cancellarius vehementer aspirans, usque adeo laboravit quòd fecit se in Archiepiscopum postulari, eandemque postulationem per præfatum Legatum admitti, Summo Pontifico penitus inconsulto. Et quamvis nondum Palleum recepisset, nedum etiam postulasset, Panormitanensem tamen Archiepiscopum & re & nomine se gerebat. Quod cum ad Summi Pontificis notitiam pervenisset, redarguit valde Legatum quòd in tanto negotio circa talem personam processerat antè quam suum beneplacitum perquisisset. Ut tamen illi deferret, de multa benignitate concessit ut idem Cancellarius tam in spiritualibus quam in temporalibus procuracionem gereret metropolis antedictæ; sic tamen ut se, sicut priùs, Troianum Episcopum appellaret, & si vellet, Ecclesiæ Panormitanensis procuratorem sive ministrum. Sed ipse spiritu elationis inflatus, hujusmodi gratiam dedignatus est acceptare; quin potiùs ad infamandum Summum Pontificem, de facto Brenensis Comititis nec linguam nec calamus voluit cohibere.

XXX. Sæpèfatus autem Comes Gualterus Brenensis, congregatis militibus, non multis quidem sed strenuis, Romam cum illis concito cursu pervenit; nonnullis ejus audaciam subfannantibus, quòd cum tam modica manu vellet regnum

intrare. Quo audito, Diupuldus & complices ejus in unum se pariter collegerunt, modis omnibus laborantes ut ejus impedirent ingressum. Porrò Dominus Papa cognoscens quòd ipse cum tam paucis militibus absque strage suorum & sua regnum ingredi non valeret, tum quia longè major erat cum adversariis multitudo, tum quia ipsi, scilicet adversarii, munitiones in ingressu regni tenebant, miseris ipsius, quingentas auri uncias concessit eidem, ex quibus colligeret sibi milites, quorum suffragio regnum intraret; deditque sibi litteras ad Comites & Barones, Castellanos, & cives, ut eum reciperent & juvarent. Qui collectis militibus intrepidus regnum intravit, & receptus à civibus Theatinensibus, cum eorum recepisset castellum, Capuam est profectus; sed à Capuanis non est infra civitatem admissus. Diupuldus igitur & complices ejus collecta multitudine copiola circa Capuam, ei obviam processerunt, putantes eum & suos uno impetu deglutire. Cumque hincinde acies fuissent instructæ, pugnatum est satis durè. Sed Domino protegente fideles ab infidelibus, præfati excommunicati sunt in fugam conversi; ex quibus aliqui cæsi, aliique sunt capti. Tunc egressi Capuani cives diripuerunt spolia multa derelicta, Comite cum suis persequentibus fugientes; sicque data est illi à Deo victoria desperata. Petrus ergo Comes Celani, confœderatus illi, retinuit illum plusquam per mensem ad obtinendum Comitatum Molisij, cujus suffragio majorem partem ipsius obtinuit Comitatus. Cecidit enim terror ejus in eos qui suam & suorum fortitudinem audiebant; compressisque Theotonicis qui ante adventum ipsius per regnum liberè discurrerant, descendit pacificus in Apuliam; & reddita sunt ei quædam civitates & villæ pertinentes ad Principatum Tarenti, videlicet Matera, Hydruntum, Brundisium, aliæque quamplures. Obtinuit etiam Melfiam, Barolum, Montem Pilosum, & quædam alias civitates & villas quæ suæ se custodiæ submiserunt. Cæpitque pugnare contra Monopolitanenses & Tarentinenses & quosdam alios qui dominationem ejus recipere noluerunt. Castellum quoque Licij potenter obtinuit; multaque magnalia prudenter exercuit, quæ longum esset per singula enarrare.

XXXI. Gualterus autem Trojanus Episcopus, & regni Sicilia Cancellarius, quasi totum sibi usurpavit inter familiares regios dominatum, ita quòd, tanquam Rex esset, conferebat & aufererat Comitatus & Baronias, instituebat Justitarios & Camerarios, Secretarios & Stratigotos; vendebat & impignorabat dohanas, & bajulationes accipiebat, & expendebat redditus & proventus; quin etiam familiares instituebat regios quos volebat, immemor apostolicæ jussionis quam ipse cum aliis sibi fieri postulaverunt in hæc verba: *Prohibemus ut domanium Regis nullatenus distrabatur, nec titulo quolibet obligetur, nisi evidentissima urgente necessitate, utpote si exercitum terra vel mari oporteat congregari; & tunc redditibus propter hoc pignori obligatis, accepta pecunia in obsequio regio per manus Secretariorum utiliter expendatur. Presentium quoque tenore duximus inhibendum ut nullus vestrum, qui*

Regi familiariter adheretis, nisi ex communi omnium voluntate, vel ex majori saltem parte consilij senioris, aliquod arduum regni negotium audeat explicare, vel percipere quicquam de fisco presumat. Regis quoque matrimonium minimè consummetur, nisi assensu nostro primitus requisito. Praecipimus etiam ut nullus Secretariorum alicui personaliter de familiaribus Regis intendat, aut aliquid ei de fisco persolvat, nisi omnibus assentientibus, vel majori & saniori parte volente; per quos thesaurum nuper inventum jubemus studiosius custodiri. Gravata etiam nos admodum & perturbata quòd cum perfidus Marqualdus sit per vires nostras & regias Domino Deo faciente contritus & ad nihilum ferè redactus, quidam, ut audivimus, in dispendium Regis & regni contra nostri formam mandati pacem cum eo facere moliantur; ut qui iudicio jacet divino prostratus, hac dolosa pace resumptis viribus resurgat concius ad nocendum. Ne igitur tam fraudulenta pax, qua perniciosa deberet potius nominari, perveniat ad effectum, per apostolica scripta districtius inhibemus quatenus nemo, cujuscunque conditionis aut ordinis, de clero vel populo, pacem hujusmodi cum eodem perfido facere vel inire presumat; sed ut ex majori parte jam victus, ex toto vincatur, contra ipsum agatur fortiter & prudenter. Ceterum quia pax & tranquillitas Regi & regno super omnia expedire probatur, volumus & mandamus ut si Sarraceni sufficientem praestiterint cautionem quòd inimicis Regis de cetero non adherent, & in ejus fidelitate ac obsequio firmi & stabiles perseverent, pace cum ipsis integrè reformata, eos in gratiam pietatis regia revocetis, eisdemque Sarracenis aliisque proditoribus regni sine dubitatione sciatis quòd si forsan his & aliis mandatis nostris, que pro Regis honore regni que salute transmittimus, contrarie presumpserint, nos ad eorum rebellionem & superbiam edomandam constantius accingemus, & Principes etiam Christianos, qui ad subsidium Terra sancte festinant, in eorum confusionem auctore Domino potenter assurgere faciemus. Salva in omnibus supradictis auctoritate Legati vel ejus cui vires nostras duxerimus committenda.

XXXII. Ut autem idem Cancellarius praconceptam malitiam posset libertatis adimplere, callidè procuravit ut apostolicæ sedis Legatus rediret. Vocaverat etiam idem Cancellarius Gentilem fratrem suum Comitem Manupelli, & familiarem regium constituerat, ad sublimationem ejus ardenter aspirans, cœpitque cum Marqualdo tractare de pace contra proprium juramentum & apostolicum interdictum, contradicentibus aliis Dominis Curie, nisi quos ipse creaverat ut sibi faverent. Et quanquam eundem Marqualdum sciret à Domino Papa cum omnibus suis fautoribus excommunicatum & maledictum, quem & ipse de mandato apostolico cum omnibus suis fautoribus excommunicaverat & maledixerat ore proprio, composuit tamen cum illo, in regiam eum familiaritatem admittens, immo inter universos familiares majorem constituens, dividens sibi regnum cum illo, ut unus in Sicilia & alter in Apulia Regis & regni negotia procurarent, mandans sub regio nomine universis ut pacem istam recipere & secundum eam intenderent Mar-

qualdo, etiam si Summo Pontifici displiceret. Verum etsi uterque intenderet decipere reliquum, affinitatem tamen contrahere firmaverunt per conjugium inter nepotem unius & neptem alterius contrahendum. Porro cum uterque deprehendisset fraudem alterius, revelata sunt abscondita tenebrarum; quoniam Marqualdus per nuntios & litteras suas publicavit ubique per regnum quòd Cancellarius machinabatur hæc & hujusmodi ut Comitem Gentilem fratrem suum ad regni solium promoveret. Cancellarius autem è contrà, quòd Marqualdus moliebatur usurpare sibi regium diadema, cœpitque Marqualdus resumere vires & crudelibus solito debacchari. Cancellarius verò, quia jam in Sicilia dissipaverat universa, nec inveniebat unde facere posset expensas, dimisso Rege in custodia fratris sui, transfretavit in Calabriam & Apuliam; ut sicut per exactiones & extorsiones Siciliam spoliaverat, ita Calabriam & Apuliam spoliaret. Diripuit penè omnes Ecclesiarum thesauros, cruces, calices, & thuribula, quin etiam capsas & iconas aureas & argenteas excrustabat, nemini parens quin à quo posset aut blanditiis aut terroribus aut fraudibus aut verberibus pecuniam extorqueret. Sed quamvis taliter extorsisset innumeram, consumpsit tamen inutiliter universam, in acquirendo cupidus, sed prodigus in donando.

XXXIII. Hic igitur in reprobum sensum datus, non cessabat Summum Pontificem profanis vocibus diffamare super facto Comitibus Brenæ, quem habebat vehementer exosum, conspirationes & conjurationes cum Comitibus & Baronibus ac etiam civitatibus faciens contra illum. Unde Summus Pontifex ejus nequitiam non valens ulterius sustinere, damnationis in eum sententiam promulgavit; ipsūque multis ex causis perjurum & excommunicatum denuntians, tam à Panormitanensi Ecclesia quam à Trojanensi removit, faciens in utraque alium Præfulem ordinari; mandans ubique per regnum ut ei nullus intenderet, neque per litteras sub regio nomine destinatas ad intendendum ei quispian tenetur. Res mira! Protinus cecidit ab universis despectus, abiitque vagus & profugus super terram; & cum ei non intenderetur à fidelibus Regis & conjunctis se Diupuldo & fautoribus ejus, ut cum eis contra Summum Pontificem & præfatum Comitem Brenæ mala quæ poterat exerceret. Quo audito, familiares Regis, qui erant complices Cancellarij, cœperunt valde timere, feceruntque pro se pariter & pro illo intercessorias litteras sub nomine regio Summo Pontifici præsentari; qui Regi rescripsit hoc modo.

Utinam puerilibus annis virilem animum Dominus inspiraret, & ætati adhuc teneræ illam sensus infunderet gravitatem per quam inter fas & nefas discerneres, inter fidem & perfidiam judicares, nec fideles damnare pro perfidis, nec perfidos pro fidelibus exaltare. Utinam non experimento disceres, sed doctrina, quod in Evangelio legitur, *Inimici hominis, domestici ejus*, & quod Sapiens protestatur: *Nulla pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus existit*. Utinam intelligeres quòd in ætate quondam &

Epistola Papæ ad  
Friedericum Re-  
gem Siciliæ.

Deut. lib. 9. de  
Conso. Papis.

nunc etiam tenera constitutum, & utriusque parentis destitutum solamine, protegendum sedes apostolica te recepit, & ut manus servorum, qui contra te conjuraverunt in regno, confringeret extra regnum, radicem pestiferæ arboris nisi fuerit amputare, ut venenosi rivi poculum exsiccaretur in fontem. Nec in regno etiam tibi defuit manus nostra. Immo nos per fratres & milites nostros primò cohibuimus impetus Marcuæ fidentis, qui in fideles tuos barbarica feritate desævians, non regni balium, ut adulatorem tibi aliqui mentiuntur, sed regni dominium nitebatur sibi per violentiam occupare, te Henrici quondam Imperatoris & inclytæ recordationis Constantiæ Imperatricis matris tuæ filium esse negans, ut hac occasione tam nos quam alios à tuo subsidio revocaret. Nos autem ejus fallaciæ non credentes, licet multa nobis & magna promiserit ne ipsius vellemus propositum impedire, quamvis etiam ut ei obviarem in partibus cismarinis sollicitudines subierimus quamplurimas & expensas, angustias, & labores non solum in nostra, sed fratrum nostrorum, quinciam consanguineorum & fidelium nostrorum personis, eos pro te periculis exponentes, postquam autem Siciliam est ingressus, dilectum filium I. Marscalcum & consobrimum nostrum, nobilem civem Romanum, cum exercitu nostro direximus contra eum, qui de ipso, faciente Domino, cum exercitu tuo mirabiliter triumphavit; ita quod nisi quidam de familiaribus tuis milites nostros à persecutione revocassent ipsius, hodie plena tibi pax esset & optata regno tranquillitas restituta. Ecce in hoc tutoris debitum extendentes, & non tam Balij personam gerentes quam tuam, cum nemo cogatur suis sumptibus militare, & ex dispositione Imperatricis prædictæ sumptus nobis essent pro regni necessitatibus ministrandi, in expensis tamen nostris tuum dejecimus inimicum, ita quod præter pauca, dum moram facerent, nihil vel in accessu vel in recessu milites nostri à tuis familiaribus receperunt; sed præter expensas, emendationem armorum & equorum militibus nostris duximus faciendam. Quidam autem ex eisdem familiaribus, qui quietem regni non appetunt, sed in ejus turbatione commoda sua ponunt, in aqua turbida piscari meliùs se credentes, ne turbatio regno desit, eodem Marscalco ad nos sine remuneratione remisso, contra claves Ecclesiæ, quæ prædictum Marcuæ cum universis fautoribus & partibus suis excommunicationis laqueis innodavit, quam ipsi etiam ore proprio publicarunt, sub specie pacis, quæ, sicut effectus indicat, perniciæ potiùs est dicenda, in caput tuum erexere dejectum, & jacentem in familiarum stabilire regium præsumperunt, quasi totam ei potestatis plenitudinem in regno Siciliae conferentes. Et ne debilior, sed fortior potiùs ex casu resurgeret, & in excidium tuum ampliùs prævaleret, universis captivis quos in fuga ejus receperant restituitis, etiam hominum regni ei voluerunt comparare favorem, pacem initam vel perniciem potiùs procuratam mandantes per universum regnum, sive volentibus sive nolentibus, inviolabiliter observari. Ecce qualiter nobis familiares regij detulerunt, qualiter suo consulue-

runt honori; qui ut tuum erigerent inimicum, contra juramentum fidelitatis, quo quidam eorum sunt nobis astricti, & illud etiam quod de non componendo cum ipso sine mandato nostro præstiterant, persecutionem suscitare sopitam, virus angui & camino oleum infundentes. Unde qua fronte vel ipsi pro se rogare possint, vel alius valeat intercedere pro eisdem, cum quidam eorum gratiam nostram demeruerint, donec congruè satisfaciant, non videmus, quamquam eos de benignitate sedis apostolicæ duxerimus tolerandos. Ipsi etenim in arcum conversi vel potiùs adversi perversum, dispositionem ejusdem Imperatricis suis interpretationibus depravantes, inane nobis nomen Balij reliquerunt, detrahentes honorem, & onus solummodo relinquentes; sibi etiam universa temeritate propria usurparunt; ita quod jam ferè totum tuum domanium contra prohibitionem nostram ad eorum petitionem obtentam penitus exhausterunt, Comitatus & Baronias pro suæ distribuendis arbitrio voluntatis, ut ex eo sibi favorem ampliùs comparent; & cum regnum exactionibus plurimis aggravarint, collectam pecuniam non converterunt in commodum regium, nec nobis secundùm constitutionem Imperatricis factas restituerunt expensas, sed nec censum debitum, nec quod eadem Imperatrix nobis & fratribus nostris annis singulis statuit persolvendum, curaverunt exsolvere; sed ex ea ditaverunt consanguineos suos, & consanguineas dotaverunt; ut taceamus ea quæ sibi, cum loculos habeant, reservarunt. Nos igitur attendentes quod, sicut tuæ quoque litteræ continebant, pueritiæ tuæ passim domestici se opponerent, passim se obicerent alieni, immo etiam homo pacis tuæ, in quo sperabas, & qui edebat panes tuos, supplantationem adversus te curaverat ampliare, ad progenitorum tuorum exemplar recurrimus, & sic ut eis consultum fuerat, sic etiam tibi duximus consulendum. Accipimus etenim & novimus esse verum quod cum illustris memoriæ Vvillelmus primus Siciliae Rex multos de regni nobilibus in exilium destinasset, ij qui post ejus obitum inclytæ recordationis Vvillelmi Regis Siciliae filij ejus curam & custodiam susceperunt, ejectos ad propria revocantes, usque adeo ipsos per revocationis & restitutionis beneficium in fidelitate ac devotione regia solidarunt ut nullus progenitorum ejus in ea pace vixerit, nullus à subditis suis sic formidatus fuerit & dilectus, nullus ita paci regni providerit & quieti. Attendentes igitur quod Henricus quondam Imperator de assensu illustris memoriæ Constantiæ Imperatricis matris tuæ, filia quondam Regis Rogerij, quando Vvillelmus filius inclytæ recordationis Regis Tancredi nepotis ejus ipsi se reddidit, Principatum Tarenti & Comitatum Licij ei & heredibus ejus concessit, & in animam ejus juramentis Principum tam de Imperio quam de regno concessionem hujusmodi fecerit roborari, nec idem Vvillelmus aut sorores ipsius aliquo modo peccaverint, cum ætatis beneficio excusentur, qua fronte in hac parte contraire justitiæ vel resistere veritati possemus, nulla potuimus intelligere ratione, cum pro suspitione non sit veritas relinquenda, contra suspitionem ta-

*V. de lib. 5. epist.*  
37.

men hujusmodi cautelam quantamcumque potuimus curavimus adhibere. Nam ab eodem Comite super crucem, evangelium, & reliquias recepimus publicè juramentum quòd nec per se nec per alium &c. ut in ea que mittitur familiaribus Regis, usque inviolabiliter observetur. Potuerat enim, si voluisset, hostibus tuis addi, & cum eis non solum jus suum sed alia etiam usurpare; fuissetque novissimus error pejor priore. Sed nos maluimus ipsum ad regni defensionem inducere ac in fidelitate regia fortius solidare. Unde ipse nuper regnum ingressus, quod juraverat executus, cum exercitu quem in propriis expensis de ultramontanis partibus secum duxit, de Diupuldo, qui hæcenus per totum regnum Siciliae citra Pharam impunè discurrens quietem omnium perturbabat, faciente Domino mirabiliter triumphavit. Unde jam, per Dei gratiam, per ejus est industriam procuratum ut fideles tui, qui muros usque modò egredi formidabant, securè colligant messes suas, & ea quæ hostes seminaverant ipsi metant, & ab eis plurimum metuantur quos plus quàm expediret hæcenus metuebant; qui etiam omnes quos de manu inimicorum tuorum potest eripere, tibi facit ad mandatum nostrum fidelitatis juramenta præstare. Verùm ne adhuc regnum pace gaudeat exoptata, sed ejus turbatio amplius augeatur, Gualterus Cancellarius cum devicto & fugato composuit, & cadentem nititur sustinere. Sed cum manus Domini sit in ejusdem D. ultionem extenta, Cancellarius ipsum sustinere non poterit, nec cum ipso subsistet, sed corruet cum ruente, qui jam ex duplici causa cum quibusdam suis fautoribus sententiam excommunicationis incurrit. Videas igitur cui potius credere debeas, utrum nobis, an quibusdam ex eis quos familiares appellas; cum nos in hostium tuorum vigilemus excidium, & utroque gladio, altero per nos, altero per prædictum Comitem & alios fideles nostros, eorum nitamur contumaciam edomare. Illi autem in caput tuum gladium hostibus tuis tradunt, & eos non absque virium tuarum infirmatione in sua iniquitate confirmant. Sanè si verum inspicias, plus tibi Brenensis Comes contulit uno die quàm quidam qui de bonis tuis dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias, profuerint dum vixerunt. Ne igitur audieris eos, nec eorum oblocutionibus fidem præstes; quoniam non honorem tuum, sed propriam utilitatem affectant, & non propter te, sed propter seipso, nostris dispositionibus contradicunt. Quòd si forsàn illud objiciunt contra Comitem memoratum, quòd H. quondam Imperator de regno uxorem ejus, & matrem ejus, & fratrem ejus, & fratrem uxoris ejecit, plus poteris de ipsorum aliquo dubitare, quem prædicta Imperatrix non sine causa forsitan aliquandiu tenuit ut captivum, & nisi fuisset morte præventa, vel nostrum ei auxilium subvenisset, ipsum forsitan penitus ejecisset à regno, vel adhuc in vinculis detineret. Certum est autem quòd facilius quis injuriam negligit alienam quàm propriam læsionem. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino quatenus, quantum de homine credi potest, in nullo dubites de Comite memorato; sed potius de ipso confidas; quoniam,

nisi per te steterit vel per tuos verids, (qui tamen utinam essent tui) eum fidelem invenies & devotum & regni tui post Deum & nos potentissimum defensorum. Nec credas quòd id tam pro ipsius utilitate quàm pro tua & regni salute dicamus. Considera ergo prudenter, immo familiares tui diligenter attendant, ne occasione vel comprehensione correctionis hujusmodi ad eos qui animam tuam sitiunt convertantur: quoniam si semel acceperint potestatem in eos, ipsi nos de eis divino judicio judicabunt. Quòd si ad cor redire voluerint, & nunc tandem mandatis nostris humiliter & devotè parere, nos pro tuæ serenitatis honore, quiete regni, ac eorum salute ipsos adhuc ad apostolica sedis gratiam admitemus. Datum Laterani V. Non. Julij, pontificatus nostri anno quarto.

XX XIV. Misit ergo Dominus Papa Petrum Portuensem Episcopum Legatum in Apuliam & Terram Laboris, præcipiens Comitibus & Baronibus, Castellanis & civibus, ut ad mandatum Legati cum dicto Comite contra Diupuldo & Cancellarium exurgerent universi. Qui cum in Apuliam pervenisset, miser ille solo nomine Cancellarius ad præsentiam ejus accessit, reconciliari postulans ecclesiasticae unitati; & præstito corporaliter juramento quòd pareret universis mandatis Domini Papæ, absolutus est à Legato. Sed cum mandaret ei ut non opponeret se Comiti Brenensi, respondit quòd si Petrus Apostolus hoc ei præcepisset missus ab ipso Christo, mandato hujusmodi non pareret, etiam si sciret quòd propter hoc deberet in inferno damnari. Et ponens os suum in cælum, cum linguam traheret super terram, publicè coram omnibus Summum Pontificem blasphemabat, præsentem Legato; abiitque ad Diupuldo. Et congregatis universis quos poterat congregare, ad pugnandum contra Brenensem Comitem juxta Barolum processerunt. Ipse verò Comes erat ibi cum paucis. Nam de fidelibus Regis penè nullos ibi secum habebat. Barolitanenses quoque, licèt præcedenti die Legato jurassent, cum aspicerent multitudinem esse cum illis, & paucitatem cum istis, non permisissent ipsos intrare. Videns itaque Comes se constitutum in arcto, cepit multipliciter anxiani, maxime propter Legatum, qui, tanquam formidolosus, plurimum metuebat. Et confortatus in Domino, prostravit ad arma cum suis; & benedictione ac remissione à Legato recepta, cum idem Legatus maledixisset hostibus, in nomine Domini Comes alta voce sanctum Petrum invocans adjutorem, processit ad pugnam. Et cum acriter dimicare cœpissent, adversarij terga verterunt, & in fugam conversi, singuli, prout poterant, declinabant; ex quibus multi sunt capti, plures sunt cæsi, & plurimi etiam in stagnis & paludibus suffocati. Videbant enim plerique crucem auream splendidissimam ante Comitem miraculosè deferri. Fuitque tanta victoria ut prima quasi nulla videretur respectu secundæ. Nam inter alios captus est Sifredus frater Diupuldi, & Odo de Laviano, qui sanctæ memoriæ Alberti Leodiensem Episcopum interfecerat, Petrus de Venere sororius Cancellarij, & Magister Girardus Salernitanus

intrusus, multique alij nobiles & potentes. Magnificatus est ergo Comes & clarificatus in regno; hostes autem humiliati sunt & comprehensi. Comes verò Gentilis recepta pecunia, sicut publicè dicebatur, turrem ad mare tradidit Marcualdo, abiitque Messanam.

XXXV. Marcualdus verò Panormum obtinuit, & tam palatium quàm Regem in suam potestatem accepit, univèrsam penè Siciliam, præter Messanam, suæ subjugans ditioni; misissetque manum in puerum, & usurpasset sibi coronam, nisi præfatum Comitem timuisset, ad quem, Rege defuncto, regnum hereditario jure ratione conjugis pervenisset. Ideoque multariè multisque modis & apud Dominum Papam & apud eundem Comitem cœpit agere ut accepta pecunia regnum exiret. Quod cum obtinere non posset, tempus oportuniùs observabat. Verùm ille qui non dimittit virgam peccatorum super sortem justorum, cœpit per seipsum, ne daret gloriam suam alteri, perfidum graviter flagellare. Quia cum jam dudum calculosus fuisset, cœpit tunc de vitio lapidis tam vehementer affligi ut præ nimis doloribus ingentes clamores emittens, irremediabilibus cruciatibus torqueretur; & cum non posset ulterius vehementiam ægritudinis sustinere, fecit vel incidit se fecit; sed subito miseram animam exhalavit. Ut verè sit de illo completum quod dicitur per Psalmistam: *Vidi impium superexaltatum & elevatum super cedros Libani. Transivi, & ecce non erat; quasiivi, & non est inventus locus ejus.*

XXXVI. Guillelmus autem Capparonus præcurrens Panormum, palatium ac Regem in sua potestate recepit, & ex tunc se Regis Custodem & Magistrum Capitaneum Siciliae appellavit. Quidam verò de complicitibus nefandæ memoriæ Marcualdi hoc indignè ferentes, se in partem alteram statuerunt. Cancellarius autem oportuniùs sibi tempus æstimans advenisse, iteratò exhibens juratoriam cautionem quòd mandatis apostolicis per omnia obediret, absolutiōnis beneficium impetravit; regressusque in Siciliam, & adjungens se alteri parti, adversùs Capparonem agebat; misitque nuntios & litteras ad Dominum Papam ut Legatum in Siciliam destinaret. Qui misit Gerardum sancti Adriani Diaconum Cardinalem; per quem Vvilelmus Capparonus se fecit absolvi, jurans in manibus ejus Domino Papæ balium, & quòd eidem Cardinali tanquam vice balij, in omnibus obediret. Ipse verò Cardinalis cœpit tractare concordiam inter ipsum & Cancellarium, quæ propter similitudines subortas non potuit consummari; accessitque Panormum, & honorificè à Capparone receptus, cœpit tanquam Balium Regis & regni negotia pertractare. Cum autem mandatum Capparoni fecisset sub debito præstiti juramenti super satisfactione Clericis & Ecclesiis impendenda, ille semper bene promittens, de promissis nihil agebat, univèrsa pro sua voluntate disponens. Unde Cardinalis prædictus, post aliquantulam moram quam fecit Panormi, maxime propter Regem, qui delecebatur in ejus præsentia, & de sua consolatione gaudebat, Messanam rediit, Domini Papæ responsum ex-

pectans. Cancellarius quoque reversus in Apuliam, instans apud Dominum Papam, per nuntios & litteras suas faciens apud eum multiplicari preces nobilium & potentum, ut cum ipso misericorditer agere dignaretur, reddendo sibi Panormitanensem metropolim, vel saltem episcopatum Trojanum. Sed ipse, sicut erat justus & constans, hujusmodi preces noluit exaudire, ne sine causa injuriam faceret Petro quondam Mazariensi Episcopo, qui per ejus mandatum erat in Archiepiscopum Panormitanensem assumptus, vel Trojano Episcopo, quem elegerat & etiam consecrari; quin potiùs præfato Archiepiscopo Pallium destinavit, ne in ejus locum ulterius Cancellarius aspiraret.

XXXVII. Ut autem Dominus Papa majorem impenderet Comiti Brenensi favorem, nobilem virum Jacobum consobrinum & Marefcalcum suum in Apuliam destinavit, constituens eos pariter Magistros & Justiciarios Apuliæ & Terræ Laboris; fecitque illi castellum Baroli ad custodiam assignari, & reddi Montem Pilosum, qui ad Comitatum Andriæ pertinebat, regia sibi liberalitate concessum, præcipiens Comiti memorato ut ad obtinendum Comitatum prædictum impenderet ei auxilium & favorem. Cum autem multa prudenter agerent & potenter, venerunt tandem in Campaniam visitare Summum Pontificem, quem audierant ægrotare. Invenruntque illum apud Anagniam tam graviter ægrotantem quòd à multis mortuus dicebatur. Cumque de morte ipsius fama volasset, multæ civitates præfato Comiti rebellaverunt, quædam expellentes milites suos, aliæ trucidantes; perdiditque tunc Materam, Brundisium, & Hydruntum. Barolitanenses castrum Baroli obsederunt, & coegerunt Castellatum, quem ibi dimiserat Marefcalcus, sibi resignare castellum.

XXXVIII. Porro cum Summus Pontifex convalescere incepisset, Comes & Marefcalcus in Apuliam redierunt; & licet recuperare prædicta nequivissent, multa tamen acquirere studeverunt. Nam ipse Marefcalcus Adriam & Minerbium civitates obtinuit; & ex tunc se Comitem Adriæ appellavit, extruxitque munitionem fortissimam apud Andriam, ubi palatium Comitatus priùs erat. Quidam autem filij Belial ei ponentes insidias, irruerunt in ipsum, putantes eum gladiis interficere. Sed quoniam armatus erat sub chlamyde, intentionem suam non potuerunt ducere ad effectum; maxime quia quidam milites ipsius objecit se illis, quem in sua præsentia peremerunt. Ipse verò quosdam eorum capiens, diversis suppliciis interemit; omnium autem bona diripiens confiscavit. Comes autem Brenensis, cum multa fuisset magnificè operatus, quæ longum esset per singula explicare, usque adeo compressit Theutonicos ut vix auderent de castellis exire; quæ cum essent necessariis destituta, sperabatur ab omnibus quòd ea non possent diutiùs sustinere. Nam & apud Salernum obtinuerat Terracinam, & turrem majorem tenebat obsessam. Ipse verò nimis securus effectus, personæ suæ custodiam negligebat. De quo cum argueretur à multis, interdum arroganter respondit quòd Teutonicis armati non auderent aggredi



Francos inermes. Unde cum quoddam Diupuldi castrum, quod Sacrum dicitur, obsideret, Diupuldus ipse praevidens incautelam, summo diluculo armatus cum suis super Comitem & suos nudos in tentoriis quiescentes irruit improvisus, multosque peremit, & cepit ipsum Comitem fortiter repugnantem, sagittis & lanceis vulneratum; qui captivus deductus ad castrum, post aliquos dies recepta poenitentia & viatico debitum carnis exolvit. Jacobus autem Comes Tricarici relictam Brenensis Comitis \* conjugem desponsavit. Sed quia gravida erat, distulit illam traducere in uxorem; peperitque filium quem nomine patris vocavit Gualterum. Diupuldus vero cepit apud Summum Pontificem supplicationibus & promissis vehementer inflare ut ipsum & suos recipere dignaretur. Interveniens igitur frater Rainerio recepit illum hoc modo, quod absolute juravit stare universis mandatis Summi Pontificis super omnibus pro quibus excommunicatus erat ab ipso, quod fideliter intenderet illi de balio Regis & regni, quod ad mandatum ejus faceret guerram & pacem, quod omni petenti sub ejus examine justitiam exhiberet, quodque Philippo Duci Sueviae nullum contra regnum Siciliae in regno vel extra regnum impenderet auxilium vel favorem. Misit igitur praefatum fratrem Rainerium & magistrum Philippum Notarium suum in Terram Laboris, qui publice secundum praescriptum tenorem juramento recepto & in scriptis redacto absoluerunt Diupuldum & suos, similiter Marcualdum de Laviano cum suis, ac deinde Conradum Sorellae cum suis. Et sic omnes Theutonici tam ultra Pharam quam citra ad mandatum Summi Pontificis redierunt. Diupuldus autem Panorum accedens, apud Vvillelmum Capparonem usque adeo laboravit quod Regem reddidit in manibus Legati & Cancellarij, securitate ab illis accepta, promittens quod & palatium eis redderet, ut de cetero Rex & regnum pacem haberent. Cumque de palatio Regem adducens perduxisset in civitatem ad Cancellarium & Legatum, facto convivio epulabatur cum illis. Interea rumor insonuit quod hoc operaretur in fraudem, ut cum illos reduceret in palatium, paratis insidiis caperet universos. Quod a multis creditur falso fuisse confectum, ut hac occasione caperetur ab illis. Et sic captus est & detentus. Sed minus providere custoditus, per fugam evasit; rediitque Salernum, filio in captivitate dimisso. Interim frater ejus Soffridus proditoriè cepit magistrum Philippum Notarium Domini Papae, quem ad petitionem ipsius Diupuldi Dominus Papa direxerat in Apuliam & Terram Laboris, committens eidem in temporalibus vices suas, ut inter Theutonicos & Latinos pacem & justitiam faceret observari; quem dictus Soffridus vix tandem extorta gravi redemptione dimisit.

XXXIX. Inter omnes vero Theutonicos qui post Imperatoris mortem in regno remanserant ad flagellum, infidelissimus extitit Conradus Castellanus Sorellae, qui & Roccam Arcis in ingressu regni tenebat, supra modum persequens & affligens, non solum undique per circuitum Terram Laboris, verum etiam Campa-

niam & maritimam universam. Contra quem Dominus Papa saepe misit nuntios & exercitum ad devastationem civitatis Soranae, quam ipse perfidus possidebat, sed forsitan ut eam à sua perfidia revocare. Quoddam namque vicinum castrum quod Infula dicitur occupavit, ejusque dominos ad tantam calamitatem perduxit quod licet nobiles essent, cogebantur tamen publice mendicare. Illius ergo malitiam Dominus Papa detestans, & istorum miserans paupertatem, ad succurrendum istis, & impugnandum illum, Petrum Tituli sanctae Pudencianae Presbyterum Cardinalem Rectorem Campaniae ac maritimae destinavit. Qui magno exercitu congregato, adversus illum processit, & eum infra praedictum castrum obsedit, terram ejus circumquaque devastans. Obsidione vero protracta, cum ad deditionem induci non posset, laboraverunt dividere animum qui praeterfluebat undique castrum ipsum, ut amne transmissis, adversus ipsum castrum facere possent insultum. Sed frustra laboratum est in utroque; immo non sine damno fuit attentatum utrumque. Verumtamen ita perfidum arctaverunt quod recepta pecunia, quam eisdem nobilibus Dominus Papa misericorditer mutuavit, reddidit eis castrum, & pacem sub certo tenore firmavit; quam tamen infra modicum tempus non erubuit violare. Nam & quosdam Verulanos fideles & vassallos Domini Papae, causa visitationis ad ipsum circa festum nativitatis dominicae venientes, ut eum, sicut moris est, honorarent, prius benigne receptos, malignè postmodum cepit, & per mutilationem membrorum ad gravissimam redemptionem coegit, non parens etiam cuidam nobili quem diu secum familiarem habuerat & insigniverat cingulo militari. Cumque monitus satisfacere nollet, praedictus Cardinalis Rector Campaniae & maritimae diffidavit eundem. Cives vero Sorani, qui praefatum tyrannum, importabilibus eos gravaminibus affligentem, habebant vehementer exosum, inito cum Roffido venerabili Castrensi Abbate secreto consilio & tractatu, noctu eum cum multis armis introduxerunt in civitatem Soranam, & se ac civitatem reddiderunt eidem ad mandatum Domini Papae. Ad cuius auxilium Dominus Papa Richardum germanum suum & Stephanum Camerarium protinus destinavit, & deinde praefatum Cardinalem direxit. Qui congregato exercitu, civitatem ipsam munire ceperunt, pro eo maxime quod Diupuldus cum magna multitudine dicebatur in illius auxilium accessurus; & occupaverunt Planellum, montem videlicet qui est supra civitatem juxta Sorellam, ut praesidio ibi constructo, civitatem defenderent à Sorella. Tandem, sicut Domino placuit, summo diluculo cum ingenti clamore irruerunt ad vallum, & facto coelitus cum nimia pluviarum effusione grandi fulgore ac tonitruo, exeuntes adversus ipsos de Rocca, commisso certamine coegerunt ad fugam; territusque tyrannus, cum putaret se proditum à quibusdam Latinis qui secum erant in Rocca Sorellae, reddidit se & suos, salvis personis, in manus praefati Richardi germani Domini Papae; sicque miraculosè praeter opinionem omnium munitionem inexpugnabilem

\* Cod. reg. duxit in conjugem.

De fratre Rainerio vide lib. 2. capitulum 122.

inexpugnabilem acceperunt, victualibus & armis copiose refertam. Ipsum verò Conradum & suos Ceperanum adduxerunt captivos, apud illos agentes ut Roccam Arcis faceret eis reddi, quam Hugo consobrinius ipsius Corradi tenebat. Qui cum ad reddendum eam nec minis nec persuasionibus posset induci, ut sine mutilatione membrorum & sanguinis effusione negotium ageretur, maximè propter Summi Pontificis honestatem, promissis & datis mille auri uncias & equis viginti, liberatisque captivis, arcem obtinuerunt in pace. Quod audiens Rex Siciliae, admirans & gaudens civitatem Soranam & Roccam Sorellæ, castrum Arcis, & Roccam ipsius, Broccum, & Pefclum solidum, quæ omnia eriperunt de manu Corradi, concessit per privilegium præfate Richardo germano Domini Papæ ac ejus heredibus in perpetuum, constituens illum Comitem, & faciens eum de Comitatu per regale vexillum, quod illi transmisit, solemniter investiri.

XL. Cancellarius autem manens cum Rege in civitate Panormi, modis quibus poterat nitebatur eripere palatium de manibus Capparonis. Quod cum non posset efficere, litteras & nuntios Regis sæpe direxit pro succursu per regnum. Sed nulli vel pauci succurrere voluerunt. Cumque longa fieret concertatio inter Capparonem & fautores ejus ex parte una, & Cancellarium & fautores ejus ex altera, Sarraceni Siciliae, qui receperant se in montibus, hoc videntes, non solum se ab obsequio Regis penitus subtraxerunt, verum etiam alij descendentes, Christianos multiformiter impugnabant, ita quòd castrum Carillonis ceperunt, pejora facere meditantes. Miserabilem ergo statum regni Siciliae Dominus Papa prudenter advertens, licet jam tempus balij exspirasset, assumpto tamen labore descendit in regnum, & apud sanctum Germanum juxta monasterium Casinense convocatis & congregatis Comitibus, Baronibus, ac Prioribus civitatum, ad hoc illos induxit ut se juramentis & fidejussionibus obligarent quòd super succursu & adjutorio Regis, & super pace ac defensione regni, ordinationem ejus bona fide susciperent, & pro posse suo facerent observari. Ordinatio verò quam fecit est talis: Ut videlicet super succursu & adjutorio Regis, & super pace ac defensione regni, Magistris Capitaneis, quos ad hoc statuit, omnes intendant. Quicumque ordinationem istam receperint, adinvicem sibi pacem observent. Et si quisquam ab alio fuerit offensus, non statim reoffendat eundem; sed apud Magistros Capitaneos querelam deponat, qui eam secundum rationem & consuetudinem regni faciant emendari. Qui autem ordinationem istam recipere noluerit aut servare, tanquam hostis publicus habeatur, & à ceteris impugnetur. Ducenti milites dirigantur in succursum & adjutorium regni usque ad Kalendas Septembris, moraturi per annum in expensis eorum à quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundum æstimatorum arbitrium, qui ad hoc fuerint specialiter deputati, pensatis debitis servitiis & propriis facultatibus Comitum & Baronum ac etiam civitatum. Proviso etiam ut ad opus eorum vi-

ctualia dirigantur. Civitatem autem, Comites, & Barones assignent in propriis expensis certum numerum bellatorum ad prædictorum Capitaneorum mandatum, si quando guerra contra quemquam propter hoc fuerit exercenda. In omnibus autem servavit sibi plenariam potestatem addendi & minuendi, mutandi & declarandi, prout viderit expedire. Scripsit autem super hoc Comitibus, Baronibus, & ceteris regni fidelibus in hunc modum.

*Affectum dilectionis & gratia quem habemus ad Regem & regnum Sicilia licet in multis multioribus ostenderit, nunc tamen evidentius & expressius per effectum operis demonstramus, cum propter necessitatem urgentem in regnum personaliter descendimus, ceteris mundi negotiis ex magna parte postpositis, propter hoc unum, ut in ipso videlicet pacem & justitiam reformemus. Bonum ergo per Dei gratiam assecuti initium, progressum intendimus facere meliorem, ut finis optimus subsequatur. Quocirca devotionem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus sicut divinam & apostolicam ac regiam gratiam caram habetis, ordinationem quam fecimus super Regis adjutorio & succursu, defensione ac pace regni, ad exemplar aliorum Comitum & Baronum ac etiam civitatum recipiatis hilariter & efficaciter observetis, prout ipsa ordinatio in capitulari continetur expressa bulla nostra munito. Magistris Capitaneis humiliter intendentes qui ad executionem ipsius de mandato nostro fuerint constituti; ne si forte, quod absit, quisquam presumeret refragari, pœnam in ipsa ordinatione statutam incurrat, & nos manus nostras in eum spiritualiter & temporaliter aggravemus. Quia verò propter fervorem astatis ad presens non possumus personaliter descendere in Apuliam, vires nostras super hiis committimus exequendas dilecto filio nostro G. sancti Theodori Diacono Cardinali, apostolica sedis Legato, cui dilectum filium O. Acolytum nostrum à latere nostro transmissum duximus adjungendum.*

XL I. Licet hic circa processum temporalium actionum figere gressum, ut ad principium promotionis hujusmodi præclarissimi Pontificis recurrentes, spirituales actus interim persequamur. Inter omnes itaque pestes habuit venalitatem exosam, cogitans qualiter eam posset à Romana Ecclesia extirpare. Statim ergo fecit edictum ut nullus officialium Curia suæ quicquam exigeret, præter solos scriptores & bullatores, quibus tamen certum modum præfixit, districtè præcipiens ut singuli suum officium gratis impenderent, recepturi gratanter si quid eis gratuito donaretur. Fecit igitur Ostiarios à Notariorum cameris amoveri, ut liberè ad eos pateret accessus. Erat autem infra sacrum Lateranense palatium in transitu, juxta cisternam coquinae, nummulariorum mensa locata; super quam cotidie ponebantur vasa aurea & argentea, monetarum diversitas, multusque thesaurus ad vendendum vel cambiandum; quam idem follertissimus Pontifex, illius zelo succensus qui mensas nummulariorum subvertit, de toto palatio fecit penitus amoveri. Ter in hebdomada solemne consistorium, quod in desuetudinem jam deve-

nerat, publicè celebrabat: in quo auditis querimoniis singulorum, minores causas examinabat per alios; majores autem ventilabat per se tam subtiliter & prudenter ut omnes super ipsius subtilitate ac prudentia mirarentur; multique litteratissimi viri & jurisperiti Romanam Ecclesiam frequentabant, ut ipsum duntaxat audirent, magisque discebant in ejus consistoriis quam didicissent in scholis; præsertim cum promulgantem sententias audiebant: quoniam adeo subtiliter & efficaciter allegabat ut utraque pars se victuram speraret, dum eum pro se allegantem audiret; nullusque tam peritus coram eo comparuit Advocatus qui oppositiones ipsius vehementissimè non timeret. Fuit autem in ferendis sententiis ita justus ut nunquam personas acciperet, nunquam à via regia declinaret; easque cum multa maturitate deliberatione præhabita proferebat.

X L I I. Ob hoc ad ejus audientiam tot & tantæ cœperunt de toto orbe causæ perferri ut plures & majores causas ipse suo tempore diffiniverit quam à longis retro temporibus in Romana fuerint Ecclesia diffinitæ. Statim enim circa suæ promotionis primordium Compostellanus & Bracharensis Archiepiscopi ad ejus præsentiam personaliter accesserunt pro causis quæ vertebantur inter eos de septem episcopatibus, videlicet Colimbriensi, Lamecensi, Vifensi, Egitanensi, Ulixbonensi, & Elborensi, ac Zamorensi; quæ causæ licet essent prolixæ nimium & diffusæ, ut super eis magni essent hinc inde libri conscripti, & vix possent earum merita declarari, per oppositiones tamen & inquisitiones ipsius ita demum sunt earum abdita patefacta, easque tam prudenter & subtiliter diffinivit ut omnes in eo supereminentem intelligentiam commendarent. Eodem quoque tempore veterem illam, sed necdum terminatam querelam, quæ de metropolitana dignitate super totam Britanniam inter Turonensem & Doleensem Ecclesias vertebatur, tam prudenter examinavit, tamque subtiliter diffinivit, ut licet per prædecessores suos multoties fuerit diffinita, nunquam tamen nisi per eum finem fuerit sortita finalem. Litem etiam quæ inter Archiepiscopum & Capitulum Cantuariensis Ecclesiæ cœperat agitari super Ecclesia de Lameche, quam idem Archiepiscopus eodem Capitulo contradicente construxerat & dotaverat multis & magnis redditibus, instituens in ea Canonicos regulares, viros nobiles, potentes, & literatos; non sine multa difficultate sedavit. Nam Rex & Archiepiscopus in illo facto se mutuo adjuvabant. Capitulum autem non habebat, post Deum, nisi solum Romanum Pontificem adjutorum, asserens pro constanti quod nisi præfatam Ecclesiam faceret demoliri, metropolitana dignitas pro majori parte transferretur ad illam. Ubi vero Dominus Papa rationes partium sufficienter audivit, apostolicæ sedis auctoritate decrevit ut dictus Archiepiscopus eandem Ecclesiam suis sumptibus demoliretur, omnino in irritum revocans quidquid factum fuerat circa ipsam. Quod cum facere distulisset, prætendens quod Rex illud fieri non sinebat, ipse succensus zelo justitiæ præcepit districtè in virtute obedientiæ Archiepiscopo memorato ut illud e-

xequi ulterius non differret, alioquin sciret se ab officio pontificali suspensum, & suffraganeos suos ab ejus obedientia esse substractos. Et sic demum, quantumcumque Rex & Archiepiscopus reniterentur & murmurarent, impletum est penitus quod mandavit. ControverSIAM quoque quæ vertebatur inter Mediolanensem Archiepiscopum & Abbatem de Scozula super districtu & jurisdictione portus de Sexto, cum honore, districtu, & jurisdictione præfati loci & castellanitiæ, hominum quoque qui habitant in Baveno, Gralia, Carpuneto, Vesterpeno, Cadem pleno, insula superiore, Bolgerate, ac Liffa mirabiliter terminavit. Nam cum diu multumque super iis coram diversis iudicibus delegatis fuisset à partibus litigatum, & testes ac instrumenta producta, ipse habens instrumenta suspecta, pro eo quod cum fere sigilli ab interiori parte vetustissima esset, cera quæ posita erat ab exteriori parte quasi ad conservationem sigilli recens erat & mollis, falsitatem taliter deprehendit, quod videlicet præsentibus partibus cum omnibus Advocatis in præsentia Cardinalium idem Dominus Papa dixit quod volebat in conspectu omnium frangi sigilla, & si reperirentur veræ & incorrupta, renovari faceret instrumenta sub testimonio bullæ suæ; si verò invenirentur corrupta vel falsa, nolebat quod prævaleret falsitas veritati. Quod cum factum fuisset, certo certius est compertum quod sub vetusto sigillo carta fuerat perforata, & per glutinum novæ cere, quæ posita fuerat exterius quasi ad conservationem sigilli, vitiosè fuerat ipsi cartæ conjunctum; & sic falsitate comperta contra monasterium sententiam promulgavit, omnibus admirantibus quod mirabiliter deprehenderat vitium falsitatis. Quis autem enumerare sufficeret innumerabilem multitudinem questionum quas inter diversas Ecclesias & personas super variis & dubiis articulis diffinivit, via regia semper incedens, nunquam declinans ad dexteram vel sinistram, personas non accipiens & munera non acceptans.

X L I I I. Cum autem Turonensis Archiepiscopus quendam qui fuerat electus in Episcopum Abrincensem, & per Metropolitanum suum postea confirmatus, & tam in spiritualibus quam in temporalibus aliquandiu ministraverat, in Andegavensem Ecclesiam præter apostolicæ sedis auctoritatem præsumpserat transferre ac Episcopum consecrare, quem Rothomagensis Archiepiscopus præter apostolicæ sedis mandatum à priore absolvit Ecclesia, & ad posteriorem ei licentiam tribuit transfundi, attendens idem prudentissimus Papa hoc attentatum esse in derogationem apostolicæ dignitatis, cui soli competit Episcoporum translatio, utrumque Archiepiscopum à confirmatione pariter & consecratione Pontificum, ipsum autem electum à pontificali officij executione suspendit, auctoritatibus & rationibus evidenter ostendens quod idem juris est in confirmatis electis quod in Episcopis consecratis. Propter eandem causam Antiochenum Patriarcham à pontificali suspendit officio; quia videlicet Appamiensem electum præter apostolicæ sedis licentiam in Tripolitana Episcopum transferre præsumpsit: sed

Vide lib. 1. regest. epist. 103. 105. 106. 133. & seqq. 149.

\* Codex reg. habet in veteratam.

Vide lib. 1. regest. epist. 103. & lib. 1. epist. 82. & seqq.

Vide lib. 1. regest. epist. 111. 357. 432.

Vide lib. 1. regest. epist. 17.

Vide lib. 1. Regest. epist. 447. & 512.

Vide lib. 1. Regest. epist. 50. & seqq. 501.

utrosque suam ignorantiam humiliter confitentes, & indulgentiam suppliciter postulantes, sine difficultate & mora restituit & absoluit.

**X L I V.** Propter similem quoque causam excommunicavit Conradum Hildesemensem Episcopum, imperialis aulae Cancellarium, virum utique nobilem, divitem, & potentem, ingeniosum, industrium, & astutum, quia videlicet ad Herbipolensem Ecclesiam sua praesumpsit temeritate transire, monitusque contempnit respicere ab errore, praetendens quod à Celestino Papa sibi fuerat indultum ut invitatus majorem posset assumere dignitatem. Sed hæc indulgentia eum non poterat excusare; quoniam Herbipolensis Ecclesia, quamvis ditior, non tamen dignior quam Hildesemensis existit; & majoris est indulgentiae ut transeat quis ad parem quam ad majorem dignitatem ascendat. Et ideo cum post admonitionem contemptam praecipisset eidem quatinus Ecclesiam utramque dimitteret, quia cautum est in canonibus ut qui ad majorem se plebem transfulerit, & à cathedra pelli debeat aliena & carere propria, ut nec illis praesideat quos per superbiam sprexit, nec illis quos per avaritiam concupivit, ipse tandem excommunicari fecit eundem, & excommunicatum per totam provinciam publicari. Qui cum ab omnibus vitaretur, tentavit multoties per honorabiles nuncios si forsan intercessione Principum, aut oblatione munerum, ejus posset animum inclinare. Quod cum nullo modo proficeret, proprium tandem recognoscens excessum, primò coram Magdeburgensi Archiepiscopo & multis Principibus, ac secundò coram Maguntinensi Archiepiscopo & multis aliis magnatibus juramento firmavit quòd mandatis apostolicis obediret. Et exinde nec viarum evitans discrimina, nec incommoda temporis impacati, ad apostolicam sedem accessit, in multa contritione cordis & humilitate corporis absolutionis beneficium implorans. Qui cum fuisset juramento rursus praestito absolutus, depositis calceamentis & pallio, cum corrigia in collo, apostolico se conspectui praesentavit; & prosternens se totum in terram, in modum crucis manus expandit, cum grandi fletu postulans indulgentiam, proprium confitendo peccatum. Commota sunt autem viscera Summi Pontificis super eum. Sed ne dissolveret nervos ecclesiasticae disciplinae, post deliberationem multiplicem in publico consistorio praecipit eidem sub debito praestiti juramenti ut tam Hildesemensem quam Herbipolensem Ecclesias omnino dimitteret: qui quamvis omnino confusus humiliter obedivit, faciens de necessitate virtutem. Misitque munera quaedam ipsi Domino Papae, videlicet vasa argentea pulchra visu; qui animo haesit paulisper, haesitans utrum deberet illa recipere, an potius refutare. Sed ne ille de gratia sua penitus desperaret, recepit oblata; & ne putaret quòd munerum posset donatione corrumpi, misit ei per honorabilem nuncium unam cupam auream preciosam majoris quam illa vasa essent argentea univèrsa. Volens autem infundere oleum super vinum, cum praecipisset ut Hildesemensis Ecclesia idoneum sibi Pontificem per electionem canonicam provide-

Tom. I.

ret, ordinationem duxit Herbipolensis Ecclesiae differendam; ut si forsan eadem Ecclesia iteratò postularet eundem, humiliatum erigeret quem deiecerat exaltatum; sicque post annum factum est ut praevideret de eo.

**X L V.** Ne autem ex aliqua parte suum iudicium claudicaret, similem poenae modum adversus Salzburgensem Archiepiscopum observavit: qui cum esset Brixinensis Episcopus, quoniam in Archiepiscopum Salzburgensem electus, absque licentia Summi Pontificis ad metropolitanae Ecclesiam transire praesumpsit, electionem omnino cassavit, & praecipit eidem ut ad primam Ecclesiam, secunda relicta, rediret, cassans quicquid egerat erga illam. Unde Gurzensem electum à Gurzensi episcopatu removit, quoniam in eum ab ipso fuerat institutus. Ipse verò alterius exemplo perterritus humiliter obediit. Cumque postmodum fuisset electus, electionem recipere non praesumpsit; sed cum electoribus suis ad apostolicam sedem accessit, dispensationis gratiam obtenturus. Et quidem obtinuit, ut experimento cognosceret quòd in arca foederis & virga continetur & manna.

**X L V I.** Inter hæc ad subventionem & recuperationem terrae sanctae ferventissimè aspirabat, sollicitè cogitans qualiter hoc posset efficacius adimplere. Quia verò detrahendo dicebant nonnulli quòd Ecclesia Romana imponebat aliis onera gravia & importabilia, digito autem suo nolebat illa movere, duos de fratribus, videlicet Soffridum tituli sanctae Praxedis Presbyterum & Petrum sanctae Mariae in via lata Diaconum Cardinales elegit, quibus & signum crucis imposuit, ut tam verbo quam exemplo invitarent alios ad obsequium crucifixi, constituens ut universi Clerici majores pariter & minores de proventibus ecclesiasticis quadragesimam partem in subsidium terrae sanctae conferrent, ipse verò & Cardinales decimam de proventibus suis tribuerent portionem. Sicque factum est ut decrevit; fecitque fieri novam navim; pro qua cum armamentis suis mille trecentas libras expendit, & iussit eam onerari frumento, leguminibus, panibus, & carnibus; & per duos fratres, unum Templi, & alium Hospitalis, & tertium monachum, praecipit universa distribui necessitatibus terrae sanctae. At illi proficiscentes applicuere Messanam, ubi propter turbationem aëquoris compulsi sunt diutius demorari. Videntes autem deperire frumentum, quod & tunc carius in Sicilia quam in Syria vendebatur, praehabito diligenti consilio frumentum ipsum Messanae vendiderunt; preciumque cum ceteris deferentes, in tres partes omnia diviserunt; & unam partem assignaverunt ad restaurationem murorum Tyri, qui corruerant terrae motu, alteram in usus pauperum, & tertiam in stipendia bellatorum. Navim verò fecit tradi Templariis in praesidium oportunitum. Misit ergo praefatum Soffridum Presbyterum Cardinalem ad Ducem & populum Venetorum; ad cujus exhortationem ipse Dux & multi de populo crucis characterem assumpserunt. Marchio quoque Montisferrati, Episcopus Cremonensis, & Abbas de Lucedio, multique alij nobiles de provincia Lombardiae, cum

c ij

Vide lib. 1. Regest. epist. 335. & lib. 1. epist. 14.

multitudine plebis innumera, deoerunt se ad obsequium crucifixi. Quod ut plenius & liberius posset impleri, duos alios Cardinales, videlicet Petrum Presbyterum tituli sanctæ Cæcilie & Gratianum sanctorum Coline & Damiani Diaconum, Pisas & Januam destinavit; ut inter Pisanos & Januenses pro terræ sanctæ succursu pacis fœdera reformarent. Sed quia filij pacis non erant, verbum pacis minimè receperunt. Generalem igitur indulgentiam universis Crucesignatis concessit in remissionem peccatorum, & eos cum omnibus bonis suis sub apostolica protectione suscepit.

Vide lib. 1. Regest. epist. 145. & 1694. 155. lib. 2. epist. 23. & 1694.

**XLVII.** Præfatum verò Petrum Diaconum Cardinalem, quem ipse postmodum in Presbyterum ad titulum sancti Marcelli promovit, direxit in Gallias; tria sibi præcipiens & injungens, videlicet ut exhortaretur & induceret populos ad terræ sanctæ succursum, ut pacem vel treugas inter Francorum & Anglorum Reges componeret & firmaret, & ut ipsum Regem Francorum ad dimittendum superinductam & recipiendum uxorem propriam, quam injustè dimiserat, commoveret & cogeret, si necessitas postularet. Ipse verò profectus circa primum capitulum usque adeo divina gratia favente profecit quòd innumera tam militum quàm peditum multitudo ad verbum exhortationis ipsius signum crucis suscepit ad obsequium crucifixi, cum quibus & quidam Episcopi & Abbates ac alij multi Clerici peregrinationis propositum assumpserunt; inter quos principales fuerunt Theobaldus Comes Trecentis, Ludovicus Comes Blesensis, Balduinus Comes Flandriæ ac Haynoniæ, & Comes de sancto Paulo, Sueffionensis & Trecentis Episcopi, & quidam ordinis Cisterciensis Abbates. Circa secundum quoque capitulum idem Legatus ita processit quòd Philippus Rex Franciæ in manu ejus data fide promisit se ad mandatum ipsius pacem vel treugas cum Rege Angliæ initutum. Richardus autem Rex Angliæ se difficilem ostendebat. Sed cum idem Legatus ei cœpit rigorem ecclesiasticum intentare, saniori ductus consilio acquievit; & quinquennales treugas composuit inter Reges, faciens quædam castella quæ tunc unus firmaverat contra alterum demoliri.

**XLVIII.** Circa tertium verò capitulum ad pleniorum intelligentiam est notandum quòd defuncta prima uxore præfati Philippi Regis Francorum filia Balduini Comitis Hannoniæ, nepte videlicet Philippi Comitis Flandriæ, de qua susceperat unicum filium nomine Ludovicum, tractatum est inter ipsum & Canutum Regem Danorum ut Ingeburgim sororem ipsius idem Rex Franciæ duceret in uxorem; missoque Stephano Noviomensi Episcopo cum regio apparuit illam adduceret, ipse Rex eam cum multo desiderio expetebat. Cumque de ipsa suscipienda in conjugem & tenenda præstita fuissent sufficientes & idoneæ cautiones, frater ejus transmisit cum ea Petrum Roschildensem Episcopum cum idoneo comitatu. Quæ cum transvecta per mare pervenisset Ambianis, ubi Rex Franciæ ipsius præstolabatur adventum, dilationis impatiens, ipso die desponsavit eandem. Et congre-

gatis Principibus tam ecclesiasticis quam mundanis, sequenti die per manum Uillelmi Remensis Archiepiscopi fecit eam secum solemniter coronari. Sed inter ipsa coronationis solemnia, suggerente diabolo, ad aspectum ipsius cœpit vehementer horrescere, tremere, ac pallere, ut nimium perturbatus vix sustinere posset finem solemnitatis inceptæ. Statimque motus est verbum divortij celebrandi propter affinitatis obstaculum quod inter eos quidam existere muscitabant, dicentes quòd secunda contigerat primam uxorem in gradu consanguinitatis quarto vel quinto. Sed aliis asserentibus quòd id sine turpi nota subito fieri non valeret, aliquantulum est dilatum; & interim suggestum est Regi ut ad illam accederet, si forsan affectu mutato carnaliter illam cognoscere posset. Accessit igitur Rex ad illam apud Fossatum prope Parisius, quò fecerat illam adduci; & thorum ejus ingressus, post paululum ab illa recessit, in tantum habens ipsam exosam ut vix sustineret coram se de illa fieri mentionem. Asserebat autem Regina quòd Rex carnaliter illam cognoverat. Rex verò è contrario affirmabat quòd ei non potuerat carnaliter commisceri.

**XLIX.** Convocatis igitur præfato Remensi Archiepiscopo in sua provincia tunc apostolicæ sedis Legato & aliis quibusdam Episcopis, coram eis accusatum est matrimonium, ipsa Regina quid ageretur penitus ignorante, utpote quæ compatriotis remissis ad propria, quasi sola remanserat, linguæ Francorum prorsus ignara; & affinitate per quosdam testes in continenti jurata, mox idem Archiepiscopus sententiam divortij promulgavit; quæ cum Regi per quemdam exponeretur interpretem, illa ultra quàm dici posset admirans, flens, & ejulans, exclamavit: *Mala Francia, Mala Francia*; & adjecit: *Roma, Roma*. Non enim aliter noverat Gallicis verbis talem exprobrare sententiam aut sedem apostolicam appellare. Protinus ergo Rex illam à regno Francorum emisit, & in quodam cœnobio monialium extra regni fines fecit uterque deponi.

**L.** Turbati multi, quin & penè omnes qui Deum timebant & justitiam diligebant, super sententia tam iniqua, Pervenitque fama vel magis infamia hujus facti ad Celestinum tunc temporis Papam: qui cum per magistrum Meliorem tituli sanctorum Johannis & Pauli Presbyterum Cardinalem de Francia redeuntem veritatem plenius & certius cognovisset, quia factum erat notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari, sententiam illam divortij contra ignatam & indefensam inordinatè ac impetuose prolatam auctoritate apostolica irritavit, interdicens Regi per nuncios & apices suos ne aliam sibi præsumeret copulare. Verum quanto idem Papa ferventior circa hoc apparuit in principio, tanto tepidior est inventus in fine: quia licet Rex Danorum, germanus frater ipsius Regiæ, per honorabiles nuntios imploraret ut compelleret Regem Francorum ad recipiendum eandem Reginam sororem suam, quam injustè dimiserat, sicut juris ratio postulabat, nunquam tamen apud eum hoc potuit obtinere; quin etiam toleravit ut idem Rex, post interdictum ipsius,

filiam Ducis Meranie, puellam utique pulchram nimis, non sine multo scandalo superduceret & teneret.

L. I. Præfatus autem Innocentius Celestino succedens, statim per litteras suas & per Parisiensem Episcopum sæpèdictum Regem studuit commovere ut eam removeret à se quam contra interdictum Ecclesiæ superduxerat, & reciperet illam in gratiam conjugalem quam legitime ductam illegitimè duxerat amovendam, juris ei licentia non negata quò minus facta restitutione, postmodum audiretur, si quid duceret proponendum, contestans eidem quòd quantumcunque sibi molestum existeret eum in aliquo molestare, quia tamen oportebat eum plus cælesti quàm terreno Regi deferre, & sine personarum acceptatione procederet sicut ratio postulat. Quia verò idem Rex sæpe commonitus noluit acquiescere, sæpèdicto Legato per apostolica scripta præcepit quatinus sublato appellationis obstaculo totam terram ipsius ecclesiastico subjiceret interdicto, ut nullum in ea, præter baptismum parvulorum & penitentiam morientium, divinum celebraretur officium, si forsan ei vexatio tribueret intellectum. Congregato igitur apud Divionem Archiepiscoporum, necnon Abbatum, & aliorum multorum Concilio, Rex præsentens quòd idem Legatus vellet procedere contra ipsum, per nuntios suos fecit ad sedem apostolicam appellari. Legatus autem, non ut appellationi deferret, sed ut differret ad tempus, quatinus alibi mandatum apostolicum commodius adimpleret, tandem apud Viennam multis Archiepiscopis convocatis, inter quos quidam de regno Francorum fuere præsentis, interdicti sententiam promulgavit mandans per litteras suas, quibus etiam tenorem apostolicarum inseruit litterarum, universis Ecclesiarum Prælati in terra Regis Franciæ constitutis ut eam & ipsi servarent & facerent per suas litteras observari. Quòd si forsan Episcoporum aliqui contra eam venire præsumerent, scirent se ab officio pontificali suspensos. Ceteris verò cujuscumque dignitatis vel ordinis officiorum & beneficiorum administrationem penitus interdixit. Omnes autem ad festum Ascensionis Domini proximè tunc futurum de inobedientia responsuros ad sedem apostolicam appellavit.

L. II. Receptis igitur litteris ejus, quidam in auditu auris obedire cœperunt, sicut Canonici Senonenses, Parisiensis Episcopus, Silvaneënsis, Sueffionensis, Ambianensis, Attrebatensis, & quidam alij, sententiam interdicti firmiter observantes. Alij verò distulerunt observare sententiam, sicut Rhemensis Archiepiscopus, Episcopus Laudunensis, Noviomensis, Antissiodorensis, Beluacensis, Morinensis, Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis, & alij fortè perpauci, nuntios suos ad sedem apostolicam destinantes, per quos quasdam excusationes, licet frivolas, prætendebant; sed promittebant quòd illis expositis, si demum placeret Summo Pontifici, sententiam observarent. Cùm igitur Summus Pontifex excusationes illas evidentissimis rationibus improbaret, præcepit eisdem ut & ipsi pariter observarent sententiam interdicti. Qui, au-

dito præcepto, humiliter paruerunt. Sicque tota terra Regis Francorum arctissimo est interdicto conclusa, ita ut clausis Ecclesiis nusquam in cæmeteriis sepelirentur corpora mortuorum, quinetiam super terram servabantur ubilibet insepulta.

L. III. Rex autem in tantam indignationem excanduit ut Episcopos & alios Clericos, qui primò servaverunt interdictum, ab Ecclesiis suis faceret violenter expelli & bona omnia occupari. Sed cùm plebs universa clamaret, Rex jam non valens ecclesiasticæ severitatis sustinere rigorem, nuntios suos, quosdam videlicet Clericos, & quosdam Milites, ad Summum Pontificem destinavit, conquerens multipliciter de Legato, sed tamen offerens per eosdem juratoriam cautionem quòd coram Legatis vel delegatis iudicibus staret juri. Quibus prudentissimus Papa respondit quòd distinguendum erat utrum stare vellet juri dictato vel juri dictando; si juri dictato, ut videlicet secundum jus quod dictaverat, superinductam à suo removeret consortio, & Reginam reciperet antedictam, libenter reciperet cautionem, immo sine cautione qualibet, si hoc faceret, relaxaret sententiam interdicti, dummodo prius Episcopi & Clerici destituti plenam fuissent restitutionem adepti. Si verò juri dictando, videlicet ut secundum jus quod dictaret, affinitatis decideretur articulus, cautionem oblatam reciperet ad cautelam, dummodo superducta remota, Reginam prius reciperet memoratam. Hoc autem cùm Rex per nuntios suos à sede apostolica revertentes audisset, spiritus ejus cœpit multipliciter anxari; quia nec illam volebat recipere quam habebat vehementer exosam, nec istam dimittere quam habebat nimis acceptam. Verùm convocatis quibusdam Principibus tam ecclesiasticis quàm mundanis, cœpit deliberare cum illis quid ei foret in hoc articulo faciendum. Quibus unanimiter respondentibus quòd parandum erat apostolicæ sedis mandatis, quæsit ab avunculo suo Remensi Archiepiscopo, qui sententiam divortij promulgaverat, utrum verum esset quòd sibi Dominus Papa scripserat, videlicet quòd illa non erat divortij dicenda sententia, sed ludibrij fabula nominanda. Qui cùm respondisset verum esse quòd scripserat Summus Pontifex, (non enim audebat aliud respondere) statim Rex intulit dicens: Ergo tu es stultus & fatuus, qui talem sententiam protulisti.

L. IV. Remissis igitur nuntiis instabat ut prius, quòd videlicet relaxato interdicto, cognoscere- tur de jure. Sed cùm nec minis nec precibus nec promissis animus Summi Pontificis flecti posset in fundamento justitiæ solidatus, ipsius arbitrio se submisit. Qui Octavianum Oxtiensem Episcopum Legatum in Franciam destinavit, talem sibi formam præfigens, ut ante omnia satisfactio- nem plenariam de damnis & injuriis Clericis & Ecclesiis irrogatis faceret exhiberi, ita quòd ij qui propter obedientiam & reverentiam apostolicæ sedis graves perpeffi fuerant contumelias & jacturas, per apostolicam sedem sibi sentirent & gauderent congruè satisfactum; deinde superinductam præciperet à Regis consortio tam carnaliter quàm localiter removeri; ut non so-

lām à Regis amplexibus, verùm etiā à regni finibus faceret illam excludi, & præfatam Reginam ab ipso Rege solemniter recipi & regaliter pertractari, recepta publicè juratoria cautione quòd eam sine iudicio Ecclesiæ non dimitteret; & sic relaxaret sententiam interdicti, reservata sibi correctione illorum qui ab initio non servaverunt interdictum, Et si post frequentes & diligentes admonitiones & exhortationes idem Rex præfatam Reginam sicut legitimam habere nollet uxorem, sed mallet matrimonium accusare, præcepit eidem Legato ut pro termino peremptorio ad inchoandum causam spatium sex mensium assignaret; infra quod, si præfata vellet Regina, commoneretur Rex Danorum germanus ipsius ut ad defensionem ipsius viros prudentes cum Advocatis & testibus & aliis quibuslibet necessariis sub apostolica & regia securitate dirigeret competenti loco de libera voluntate partium assignato. Associavit autem de libera voluntate partium Ostiensis Episcopo ad examinationem & defensionem causæ ipsius Johannem tituli sanctæ Priscæ Presbyterum Cardinalem, injungens eidem ut assidentibus sibi viris religiosi, litteratis, & providis, causam ipsam sufficienter, diligenter, ac patienter examinare curarent, taliter in verbis & operibus & aliis circumstantiis se habentes ut nulla de ipsis posset suspicio suboriri, sed juris ordine per omnia observato, securitatem & libertatem parti sepe dictæ Regine per omnia providentes, causam ipsam mediante justitia terminarent. Profectus est Ostiensis Episcopus secundum hanc formam ad Regem Francorum, & tam ab ipso quam ab ejus magnatibus honorificè ac devotè receptus, fecit imprimis Ecclesiis & ecclesiasticis viris de damnis & injuriis satisfieri congruenter, ac deinde Reginam de loco in quo fuerat ad quoddam regale castrum adduci; ubi præsentibus Archiepiscopis & Episcopis regni que magnatibus, & tam cleri quam populi multitudine copiosa, Rex ad mandatum Legati Reginam recepit, faciens in animam suam juramento firmari quòd honorificè eam ut Reginam tractaret & absque iudicio Ecclesiæ non dimitteret. Et sic ipse Legatus sententiam interdicti, quæ per octo menses duraverat, relaxavit cum multo gaudio & applausu. Sed nonnulli sibi detraxerunt quòd apostolici mandati forma neglecta in quibusdam superficialiter processisset. Superinductam autem Rex à suis separavit amplexibus, sed à regni finibus non exclusit, quia gravida erat & partui jam vicina. Porro causam ipsius Dominus iudicavit; quia post partum graviter infirmata, debitum carnis exsolvit.

L V. Cùm igitur idem Rex non posset induci ut ipsam Reginam vellet maritali affectione tractare, assignati sunt certi dies & certus locus ad causam, in quo apud Sueffionem, præsentibus partibus, ambo interfuere Legati; coram quibus causa cæpit suo Marte tractari. Et licet Rex plures & majores Advocatos haberet, non tamen defuit qui propter Deum verbum faceret intrepidus pro Regina. Videns verò Rex quòd parum proficeret, cùm diebus aliquot litigasset, indignatus recessit, nolens coram ipsis Legatis

ulterius litigare. Summus autem Pontifex, etsi nunquam potuerit Regem inducere ut ipsam Reginam diligeret, nunquam tamen cessabat nec blandis nec asperis agere apud ipsum ut eam faceret regaliter honorari, consolatorias & confortatorias ei litteras sæpe transmittens, & per proprios nuntios eam faciens visitari, de contingentibus nihil omittens, etiam si Regi plurimum displiceret. Nam eadem Regina conquerebatur se magis esse incarcerationam quam restitutam; cùm etiam Rex in victu & vestitu competenter ei faceret provideri, adeò tamen arctè faciebat eam apud Stampas in regio palatio custodiri quòd nec ipsa permittebatur exire, nec quisquam ad eam nisi rarò permittebatur intrare, sicque manebat omnino solatio destituta.

L V I. Interea vacante metropoli Senonensis, Antissiodorensis Episcopus ab universo Capitulo unanimiter est electus, Rege suum præbente consensum; missique sunt nuntij honorabiles & solemnes ad obtinendam translationem & Pallium impetrandum. Porro Summus Pontifex prudenter attendens quòd idem Antissiodorensis Episcopus unus fuerat ex illis qui ab initio interdicti sententiam non servaverant, & Senonensis Ecclesia eam servaverat ab initio, ut discerneret inter obedientes & devotos, postulationem ipsius in publico consistorio reprobavit; cùm secundum legem divinam non sit arandum in bove & asino, nec quisquam debeat induere vestem de lana linòque contextam. Unde quidam protinus exclamavit, Nunquam Antissiodorensis Episcopus de bene cantando tantum acquireret quantum de malè cantando jam perdidit, universis exaltantibus & laudantibus Deum. Præfecit autem eidem metropoli magistrum Petrum de Corbolio, cujus Parisius in sacra pagina fuerat auditor, quem jam pridem in Camera censum Episcopum fecerat promoveri.

L V I I. Quia verò Summus Pontifex servaverat sibi correctionem eorum qui ab initio non servaverant sententiam interdicti, & ipsi sententiam suspensionis incurrerant quam Legatus protulerat in eos qui eandem sententiam non servarent, compulsi sunt ad apostolicam sedem personaliter laborare. Venerunt igitur Remensis Archiepiscopus, Carnotensis, Aurelianensis, Meldensis, Antissiodorensis, Noviomensis, & Belvacensis Episcopi, & procuratores eorum qui propter senectutem vel ægritudinem accedere nequiverunt. Similiter & quidam Abbates venerunt. Qui verò venire non potuerunt, procuratores idoneos destinarunt. Recepit autem ab omnibus publicè juramentum quòd tam super interdicti quam suspensionis sententia non servata mandatis apostolicis obedirent; & sic eos à vinculo suspensionis absolvit; sed mandatum facere distulit ad cautelam.

L V I I I. Eo tempore tam in Oriente quam in Occidente detestabilis fuerat commissus incestus, Nam in Oriente una duobus fuit incestuose conjuncta. In Occidente verò unus duas præsumpsit sibi jungere per incestum. Et incestui quidem in Oriente commissio non solum consensus sed & auctoritas Clericorum ibi consistentium intercessit. Sed in detestabili copula in Occiden-

Vide lib. 1. Regest. epist. 71.

se contracta, licet non absque quorundam ecclesiasticorum virorum consensu fuerat forsitan attentata, ecclesiastica tamen auctoritas nullatenus intervenit. Volens autem Deus majus peccatum vindicare celerius & à similibus alios deterrere, tam Corradum Marchionem Montisferrati, qui Reginae Jerosolymitanae prius adhæserat per incestum, occidit gladio, quam Henricum Campaniæ Comitem, qui ei & in culpa quodammodo & in pœna successit, dejecit precipitio, utrumque verò morte imprævisa perimit. Nondum enim in hujusmodi iniquitatis auctores in Occidente suam excuerat ultionem. Sed quanto longanimitas adhuc sustinet, tanto forsitan severius vindicabit. Licet autem apostolica sedes quod super hoc fuerat in Oriente commissum propter malitiam temporis & persecutionem urgentem dissimulare sit visa, ad vindicandum tamen quod in Occidente fuerat attentatum, rigore canonicæ districtio est usa. Nam audito quòd Rex Legionensis consobrinam suam filiam Regis Portugalliæ incestuosè sibi præsumpserat copulare, tam Regem ipsum Portugalliæ quam incestuosè conjunctos excommunicationis sententia innodavit, & Legionense ac Portugalliæ regna sententiæ suppositi interdicti. Unde quod illegitimè factum fuerat est penitus revoatum. Verùm dictus Rex Legionensis ad detractionem manum extendens, sicut is de quo dicit Scriptura, *Væ homini illi qui post se trahit peccatum quasi longam vestem, & Impius cum venerit in profundum vitiorum contemnit*, filiam Regis Castellæ consobrini sui, nepotem videlicet propriam, impudenter sibi copulare præsumpsit. Quod cum ad ipsius Summi Pontificis pervenisset notitiam, protinus fratrem Raynerium, virum scientia & religione pariter reverendum, Deo & hominibus obtentu scientiæ & honestatis acceptum, in Hispaniam destinavit, ut juxta verbum propheticum dissolveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes; qui per Dei gratiam excussit ab omni munere manus suas, ita ut quod legitur verè possit de ipso referri: *Non fuit qui ditaverit Abraham*. Idem igitur frater Raynerius cum in Hispaniam pervenisset, dictum Regem Legionensem semel & iterum ex parte Summi Pontificis commonuit diligenter ut à tam detestabili & nefanda copula resiliere, universis colligationibus dissolutis quæ fuerant pro ipsa copula consummanda contractæ. Sed cum apud eum nihil prorsus monitis profecisset, certum ei diem assignavit & locum; & cum ipsum etiam ultra terminum expectasset, in eum se contumaciter absentantem juxta formam mandati apostolici excommunicationis sententiam promulgavit, & regnum Legionense interdicto generali conclusit. In memoratum verò Regem Castellæ ac terram suam in nullo processit, cum idem Rex se mandatis ejus exponeret, & quòd reciperet filiam suam, si sibi redderetur, proponeret assertivè; obligans se ad hoc per litteras suas Summo Pontifici destinandas. Postmodum autem Toletanus Archiepiscopus & Episcopus Palentinensis ex parte ipsius Regis Castellæ, ac ex parte Regis Legionensis Zamorensis Episcopus, ad se-

dem apostolicam accedentes, postulabant à Domino Papa ut cum eodem Rege Legionensi & cum filia Regis Castellæ dignaretur super hujusmodi copula dispensare. Propter quod, nisi specialis illa gratia quam habebat idem Dominus Innocentius ad devotionem dicti Regis Castellæ motum sui animi temperasset, in ipsos ita curasset severitatem ecclesiasticam exercere quòd nulli de cetero temporibus suis repudiatas töties & damnatas petitiones afferrent. Tandem verò intelligentes Archiepiscopus & Episcopi memorati quòd non solum indulgentiam super hoc à Summo Pontifice sed vix etiam possent audientiam impetrare, interdictum in terram dicti Regis Legionensis prolatum à Domino Papa postulavere remitti, asserentes quòd ex eo triplex toti regno periculum imminerebat, videlicet ab hæreticis, Sarracenis, & Christianis. Ab hæreticis; quia cum propter interdictum ipsum clausa essent in partibus illis ora pastorum, non poterant fideles per eos contra hæreticos instrui & ad resistendum eis aliquatenus informari. unde tum ex hoc, tum quia Rex Legionensis ab Ecclesia se asserens aggravatum, eis minimè resistebat, invalescebant contra fideles heretici, & in regno ipso hæreses variæ pullulabant. A Sarracenis; quoniam cum per exhortationes & remissiones Ecclesiæ Hispaniarum populus consuevillet ad expugnationem paganorum induci, cessante prædicatorum officio, populi etiam devotio tepescebat; quia dum se cum Principe suo, quoad interdictum, eidem videret pœnæ subiectum, à culpa, cui vel tacendo consenserat, fortè se non credebat immunem. propter quod minus circa debellationem Sarracenorum fervebat, ne decederet in peccato. A catholicis; quia cum Clerici laicis spiritualia ministrare non possent, laici Clericis temporalia subtrahebant, oblationes, primitias, & decimas detinentes. Unde cum Clerici ex his pro majori parte in partibus illis consueverint sustentari, eis subtractis, non solum mendicare, sed fodere ac servire Judæis in Ecclesia ac totius Christianitatis opprobrium cogebantur. Videbatur autem Domino Papæ difficile eorum petitioni annuere, ac sententiam ex animo & ordine & causa latam canonicè sine satisfactione congrua relaxare. Ex animo siquidem; quia, sicut Deus suæ conscientiæ testimonium perhibebat, ad hoc non nisi justitiæ & honestatis obtentu processerat, cum ex contrario potius contra ipsum Dominum Papam oriri præsumptio potuisset, si tam detestabile facinus duxisset in patientia tolerandum. Ex ordine: quia dictus frater Raynerius post commonitiones & dilationes legitimas, tandem de districtione percussit ecclesiastica contumacem. Ex causa; exemplo, divino videlicet & humano. divino; quia cum David in populi numeratione peccasset, Dominus in populum vasa sui furoris effudit. unde idem David dixisse legitur; peccatum suum Domino confitendo: *Ego sum qui peccavi, ego qui iniquè egi. Isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Avertatur, obsecro, furor tuus à populo tuo*. Humano; quia esset mali exempli; videlicet quòd si forsitan in alia regna similem eundem Dominum Papam contingeret sententiam promulgare, si-



milis ab ipso gratia peteretur; quam si forsitan negaret, apud ipsum esse videretur acceptio personarum. Ex hoc etiam de ipso Summo Pontifice posset apud aliquos oriri suspicio, præsumptibus forte quibusdam quod ad id moveretur ex causa latenti. Licet igitur ex causis præmissis non videretur dicta petitio admittenda, quia tamen ubi multitudo est in causa, detrahendum est aliquid severitati ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat, in eo ad petitionem prædictorum Archiepiscopi & Episcoporum gratiam duxit de communi fratrum suorum consilio faciendam ex quo videbantur impedimenta expressa superius provenire. Relaxavit igitur Summus Pontifex, non in totum, sed in una parte solummodo, interdictum; nec perpetuo, sed ad tempus, quamdiu scilicet sibi placeret, & expedire videret, ut probaret interim spiritus si essent ex Deo, & an, sicut idem Archiepiscopus & Episcopi affirmabant, sperata inde utilitas sequeretur; sic videlicet ut in regno ipso divina celebrarentur officia, sed decedentium corpora ecclesiastica sepultura minimè traderentur. in quo tamen Clericis fecit gratiam specialem, in eo videlicet ut in cæmeterio ecclesiastico deberent cessante solemnitate solita tumulari. Quod licet aliquibus posset abscondi fortè videri, ut officio restituto, sepultura ecclesiastica negaretur, quia juxta canonicas sanctiones cui communicavimus vivo, communicare debemus & mortuo, rectè tamen intelligentibus nihil ex hoc incongruitatis occurrit, cum juxta Lateranensis instituta Concilij decedentes ex torneamentis, etsi per penitentiam reconcilientur Ecclesie, Christiana tamen sepultura priventur. Ut autem non remittere penam sed commutare potius videretur, dictum Regem Legionensem, memoratam filiam Regis Castellæ, & omnes eorum principales Consiliarios & fautores excommunicationis vinculo innodavit, mandans ut ad quamcumque civitatem, villam, vel oppidum devenirent, nullus ibidem eis præsentibus divina officia celebraret. Dicto autem Regi Castellæ ac Regina uxori ejus præcepit ut ad dissolvendam prædictam copulam operam impenderent efficacem. alioquin in eos & terram suam similem sententiam promulgaret. Quia verò castra quædam, quæ idem Rex Legionensis dictæ filie Regis Castellæ tradidisse dicebatur in dotem, ita ut si eam aliqua ratione relinqueret, ipsa cederent in jus ejus, impedimentum præstabant hujusmodi copulæ dissolvendæ, mandavit castra ipsa restitui, & ad id puellam ipsam excommunicationis sententiam coarctari, decernens ut si ex tam incestuosa & damnabili copula susciperetur aliqua proles, spuria & illegitima penitus haberetur, quæ secundum statuta legitima in bonis paternis nulla ratione succedit. Licet autem aliquanto tempore in sua contumacia perdurassent, demum tamen redeuntes ad cor, incestuosam copulam dissolverunt; & cum fuissent ab invicem separati, præstito secundum formam Ecclesiæ juramento meruerunt absolvi.

LIX. Eodem tempore anathematizavit Sueorum apostatam, qui regnum Norvagiæ per violentiam occupaverat, legitimo regni herede per-

empto; & Nidrosiensem Archiepiscopum, qui perverfis ejus actibus consentire volebat, coegit eum idem apostata extra suam provinciam exulare; qui per apostolicæ sedis mandatum ab alio Archiepiscopo benignè receptus, invalor in peccato suo vitam finivit, & sic ad Ecclesiam suam post exilium suum remeavit.

LX. Audita promotione Domini Innocentij, Alexius Constantinopolitanus Imperator misit ad eum honorabiles nuntios, cum muneribus preciosis, rogans ut ipse per Legatos suos ejus Imperium visitaret. Qui misit illuc Albertum Subdiaconum & Arbertum Notarium, monens per eos in litteris suis Imperatorem prædictum ut ad succursum intenderet terræ sanctæ, cui propter divitiarum abundantiam, viciniam locorum inter omnes Principes Christianos poterat plenius subvenire. sed & Græcorum Ecclesiam reduceret ad obedientiam sedis apostolicæ matris suæ, à cujus magisterio se subtraxerat in sua contumacia longo tempore perseverans. alioquin pro certo cognosceret quod non posset sub dissimulatione transire quin super hoc suum exqueretur officium, cum ipse acceperit justitiam judicandi. super hoc ipse scribens Patriarchæ Constantinopolitano, monens ut ad id Imperatorem induceret memoratum. Quid autem Imperator ipse ad utrumque responderit, & qualiter ad ejus responsum Dominus Papa rescripserit per Johannem Capellanum suum illuc iterum destinatum, ipsius litteræ ad eundem Imperatorem directæ declarant.

Multæ, inquit, nobis attulit exultationis affectum quod sicut ex litteris excellentiæ imperialis accepimus, Legatos & litteras nostras recepit humiliter imperatoria cellitudo, & ad ea quæ super Ecclesiæ unitate nos scripsisse meminimus, etsi non omnino sufficienter & evidenter, benignè tamen & devotè respondit, & exhortationes & commonitiones nostras suum rescripsit imperium acceptasse. Is enim à quo secundum Apostolum est omnis potestas, scrutator scilicet renum & cordium Jesus Christus, qui habet cor Principum in manu sua, qui aperit & nemo claudit, aures tuæ serenitatis aperuit, & eum tibi devotionis spiritum inspiravit ut quæ per nos, licet insufficientes vicarios suos & immeritos Apostolorum principis successores, imperiali magnificentie litteris fuerant exarata, & audires humiliter & benignius acceptares; licet super subventionem terræ orientalis hæctenus non impensa magnificentiam tuam nos credideris increpasse, cum tamen id non increpando scripsimus, sed potius commonendo, quamvis increpationis alloquium à pontificali non sit alloquio alienum, juxta quæ Paulus ad Timotheum scribens agebat: *Prædica verbum, infra importunè oportunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Miramur autem quod imperialis prudentia pro recuperatione terræ sanctæ nondum esse laborandum visa est suis litteris innuisse; quia, sicut ex detentione ipsius terræ poterat evidenter agnosci, nondum Dominus peccatis nostris fuerat complacatus, qui non in multitudine, nec in arcu, sed in virtute sua salvos facit de sua misericordia confidentes. Timens enim,

Lib. 1. epist. 354.

Lib. 2. epist. 111.

419.25.

enim, sicut tuæ litteræ continebant, ne si tempus à Deo ejusdem terræ liberationi prævisum imperialis serenitas voluerit prævenire, se frustra laborasse deploret, & increpetur à Domino per Prophetam dicentem sibi: *Regnaverunt, & non per me; dominati sunt, nec me noverunt.* Verùm ut non tam ad reprehensionem quam instructionem loquamur, si diligenter consideres & inspicias veritatem, longè aliter intelliges sentiendum. Bonorum enim omnium dator, qui reddet unicuique secundùm opera sua, cui servitia coacta non placent, liberum homini concessit arbitrium, ut super his in quibus humanum posset invenire remedium Dominum non tentaret. Scriptum est enim: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Est igitur in tanta necessitate populi Christiani vel potius Iesu Christi tam tibi quam universis sacri baptismatis unda renatis libero utendum arbitrio, & subveniendum exuli crucifixo; ne si redemptionis ejusdem terræ tempus ignotum hominibus expectare volueris, & nihil agere per te ipsum, sed universa relinquere dispositioni divinæ, sepulcrum dominicum à Sarracenorum manibus per tuæ subventionis auxilium nullatenus liberetur, & inde per negligentiam imperialis magnificentia divinam incurrat offensam unde per sollicitudinem suam gratiam Domini poterat promereri. Numquid enim sensum Domini cognovisti? Numquid Consiliarius ejus es, ut certus de dispositione divina, tunc primum arma moveas in paganos & ad liberationem Hierosolymitanæ provincie accingaris cum Dominus disposuerit misereri populi Christiani & hereditatem suam de manu Sarracenorum liberare? Nonne legisti de altitudine divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quoniam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus? Sanè si divinæ mentis arcana præscires, & liberationem sepulcri dominici occultæ revelationis oculo prævideres, nunquid tibi meritorium esset tunc primum in terræ sanctæ subsidium proficisci, quasi velles Dominum in suæ dispensationis executione juvare, quæ per te nec impediri posset nec etiam prorogari? Qui hoc sentiunt, dicere compellentur despisse Prophetas, qui eos penitentiam agere prædicabant quorum peccatum ex eorum contemptu Deus præviderat aggravandum. Ut cum Moyses jussus à Deo monuerit Pharaonem ut & dimitteret populum, induratum sit tamen cor ejus ut populum dimittere noller, est flagellatus, non erat secundùm opinionem talium vel desistendum à vitiis vel virtutibus insistendum, sed standum potius dispositioni divinæ, quæ damnandos prævidit singulos aut salvandos. Legit, sicut credimus, imperialis excellentiæ vel audivit quòd propter peccatum Israëlitiæ populi quadraginta dies, quibus debuërat terram repromissam intrare, in annos totidem Dominus commutavit, & è converso ad contritionem & lacrymas Ezechie vitam ejus in ter quinos annos extendit. Ex quo potest plenè perpendi quòd & tempus posset Sarracenicæ persecutionis breviate qui in evangelio de Antichristi persecutione loquutus adjecit: *Nisi breviate fuissent dies illi, salva non fieret omnis caro.* Præterea inter ceteras arcanas & inscrutabiles causas invasionis & detentionis terræ orientalis, hanc etiam Dominus sua forsitan miseratione

Tom. I.

prævidit ut multi relictis parentibus & amicis, immo etiam omnibus quæ habebant, assumpto salutiferæ crucis signo sequentes in defensione terræ sanctæ ipsius vestigia martyrio coronentur, & inde triumphans Ecclesia lætetur & augeatur in cælis unde militans dolere & minorari videtur in terris. Nolumus autem in hujusmodi amplius immorari, cum rectè attendentibus & inspicientibus diligenter veritas pateat per seipsam. Imperialis autem celsitudinis erit sic de cetero Christo exuli subvenire ut & obloquentium detractionem evitet, & in ultimæ discussionis examine illud evangelicum contra se audire non possit: *Hospes fui, & non collegistis me; infirmus & in carcere, & non venistis ad me.* Gaudemus autem quòd super Ecclesiæ unione, pro qua imperatoriæ magnificentie specialiter litteras nostras direximus & Legatos, sicut ex litteris tuis accepimus, promptum videris habere affectum, & ad consummandum quæ scriptimus intendere diligenter. Rescripisti enim per litteras tuas, ut tuis verbis utamur, quòd nostræ sanctitatis est, secundùm præcedentes synodales operationes, pro requisitis dogmatibus synodales conventiones fieri dispensare, & nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quæ apud vos est Ecclesia non ad conventum tardabit. Licet autem apostolica sedes non tam constitutione synodica quam divina caput & mater omnium Ecclesiarum existat, sicut ex tenore litterarum quas venerabili fratri nostro Patriarchæ Constantinopolitano dirigimus, & quarum tibi destinamus exemplar, celsitudini tuæ poterit apparere, ideoque Patriarcha prædictus nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differre debuerit quin nobis, sicut suo capiti, secundùm antiquum & canonicum statum benignius & devotius obediret, cum certa non sint pro dubiis relinquenda, nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus auctore Domino generale Concilium convocare & synodalem celebrare conventum; ad quem si vocatus à nobis juxta tuam promissionem occurreret, cum hæc sint dogmata quæ nostris litteris requisivimus, ut scilicet membrum ad caput & ad matrem filia revertatur, Ecclesiæ Romanæ reverentiam & obedientiam debitam impensurus, eum sicut fratrem carissimum & præcipuum membrum Ecclesiæ benigne ac hilariter admitemus; de ceteris auctoritate sedis apostolicæ ac sacri approbatione Concilij cum suo & aliorum fratrum nostrorum consilio quæ statuenda fuerint statuentes. Alioquin cum scandalum Ecclesiæ non debeamus ulterius sustinere, qui de area Domini zizaniam debemus & paleas exsufflare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur magnificentiam tuam & exhortamur attentius & in remissionem injungimus peccatorum quatenus sic efficias ut idem Patriarcha per se, vel si fortè justa præpeditus occasione nequiverit, per procuratores idoneos & aliquos de majoribus Ecclesiarum Prælatiis statuto tempore ad Concilium vocatus accedat. apostolicæ sedi obedientiam & reverentiam secundùm statum canonicum præstiturus; ne si secus actum fuerit, quod non credimus, tam in te, qui potes, si volueris, efficere quod mandamus, quam in eum & in Græcorum Ecclesias procedere

d

compellamur. Super ceteris autem dilectum filium Iohannem Capellanum & familiarem nostrum apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suæ religionis & honestatis acceptum, ac tuæ serenitati devotum, ad imperialem excellentiam duximus destinandum, monentes & exhortantes attentius quatenus eum sicut Legatum apostolicæ sedis benignè recipias & honores, & ea sine dubitatione qualibet credas quæ tibi ex parte nostra duxerit proponenda. Sciturus pro certo quòd si nostris volueris consiliis acquiescere, gravi tempestate sedata, grata tibi poterit tranquillitas provenire.

LXI. Patriarchæ verò, qui eum super duobus articulis consuluerat, rescripsit hoc modo.

Lib. 2. epist. 209.

Apostolicæ sedis primatus, quem non homo sed Deus, immo verius Deus homo constituit, multis quidem & evangelicis & apostolicis testimoniis comprobatur, à quibus postmodum constitutiones canonicæ processerunt concorditer asserentes sacrosanctam Romanam Ecclesiam in beato Petro Apostolorum principe consecratam, quasi magistratam & matrem ceteris præminere. Hic enim cùm interroganti Domino quem homines esse dicerent filium hominis, aliis opiniones referentibus aliorum, ipse velut inter ceteros primus eum esse Christum Dei vivi filium respondisset, audite promeruit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et post pauca: *Tibi dabo claves regni caelorum.* Nam licet primum & præcipuum fundamentum Ecclesiæ sit unigenitus Dei Filius Iesus Christus, (juxta quod dicit Apostolus, quia fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus) secundum tamen & secundarium Ecclesiæ fundamentum est Petrus, etsi non tempore primus, tamen auctoritate præcipuus inter ceteros; de quibus Paulus inquit Apostolus: *Tam non estis hospites & advena, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei, super-ædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum;* quos & fundamenta esse in montibus sanctis David Propheta etiam testatur. Hujusmodi etiam primatum veritas per se ipsam expressit, cùm inquit ad eum: *Tu vocaberis Cephas,* quod etsi Petrus interpretetur, caput tamen exponitur; ut sicut caput ter cetera membra corporis, velut in quo viget in plenitudo sensuum, obtinet principatum, sic & Petrus inter Apostolos, & successores ipsius inter universos Ecclesiarum Prælatos prærogativa præcelleret dignitatis, vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis ut nihil ei de potestatis plenitudine depetiret. Huic Dominus oves suas pascendas vocabulo tertio repetito commisit, ut alienus à grege dominico censeatur qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem. Non enim inter has & illas oves distinxit, sed simpliciter dixit, *Pasce oves meas,* ut omnes ei omnino intelligantur esse commissæ. Iacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna, Hierosolymitana sola contentus, ut semen fratris præmortui suscitaret ubi fuerat crucifixus, Petro non solum universam Ecclesiam sed totum reliquit seculum gubernandum. Quod ex eo etiam evidenter apparet quòd cùm Dominus apparuisset in littore discipulis navigantibus, sciens Petrus quòd Dominus esset, se misit in mare; aliis navigio ve-

nientibus, ipse sine beneficio navis ad Dominum festinavit. Cùm enim mare mundum designet juxta verbum Psalmistæ dicentis, *Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus,* propter hoc quòd Petrus se misit in mare, privilegium expressit pontificij singularis, per quod universum orbem susceperat gubernandum, ceteris Apostolis vehiculo navis contentis, cùm nulli eorum fuerit universus orbis commissus, sed singulis singulæ provinciæ vel Ecclesiæ potius deputata. Iterum etiam ut se unicum Christi vicarium designaret, ad Dominum super aquas maris mirabiliter ambulavit, & ipse super aquas maris mirabiliter ambulavit. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, congregationesque aquarum sint maria, per hoc quòd Petrus super aquas maris ambulavit, super omnes populos se potestatem habuisse demonstravit. Pro eo quoque Dominus se orasse fatetur, inquit in articulo passionis: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos;* ex hoc innuens manifestè quòd successores ipsius nullo unquam tempore deviant, sed revocarent magis alios & confirmarent etiam hæsitantes; propter hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens ut aliis necessitatem imponeret obsequendi. Quod & tunc Petrus agere cepit quando quibusdam ex discipulis abeuntibus retro, & *Durus est hic sermo* dicentibus, cùm dixisset Iesus ad duodecim, *Numquid & vos vultis abire?* solus ipse respondit pro ceteris: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habet.* Huic præterea dictum in evangelio & audisti sapius & legitisti: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Quod si omnibus etiam Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognoscas ligandi atque solvendi à Domino facultatem; ut quod non alij sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato à Domino & concessa plenitudine potestatis. Ad quod nimirum videtur illud non incongruè pertinere quòd ipse solus legitur interrogasse Iesum: *Si peccaveris in me frater meus, dimittam ei usque septies?* Et ei soli Iesus legitur respondisse: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quia profecto septenarius numerus universus est numerus, eò quòd omne tempus septenario dierum numero noscitur comprehendi. Septenarius ergo numerus in seipsum multiplicatus in hoc loco significat universorum universa peccata; quia solus Petrus potest, non solum omnia, sed omnium crimina relaxare. Demum post passionem suam Dominus Petro dixisse legitur: *Tu me sequere;* quod utique non tam de sequela perferendæ passionis quam creditæ dispensationis debet intelligi, cùm & Andreas & quidam alij præter Petrum sicut Dominus fuerint crucifixi; sed solum Petrum substituit sibi Dominus & in officio vicarium & in magisterio successorem. Vnde post Ascensionem Domini Petrus velut successor ipsius regere cepit Ecclesiam ad complendum duodenarium numerum discipulorum loco Judæ prævaricatoris ex verbis Prophetæ alijm instituens & faciens subrogari, & recepto Paraclito, discipulos non multo repletos, sed spiritus sancti gratia illustratos ex verbis Iohannis

apertius comprobavit. Hic pœnitentiam agere jussit, & baptizari credentes. Hic inter discipulos, curando claudum, prius fuit miraculum operatus; & in Ananiam & Saphiram uxorem suam tanquam primus & præcipuus inter eos, quia mentiri fuerant in spiritu sancto, mortis sententiam promulgavit. Hic simoniacæ pestis radicem contra primitivam Ecclesiam pullulantem apostolica falce succidit, solus in Simonem magnum sententiam damnationis promulgans; licet non ei soli sed omnibus communiter pecuniam obulisset. Ipse præterea cum in eum mentis cecidisset excessus, vidit caelum apertum & descensum vas quoddam linteum magnum quatuor initiis de caelo in terram submitti, quod omnia quadripedia & serpentina terræ ac cæli volatilia continebat. Et cum facta esset vox dicens ad eum, *Surge, Petre, macta, & manduca*, respondit: *Abstine, Domine; quia nunquam immunda & communia manducavi*. Et vox ad eum facta est secundo: *Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris*. Per quod innuitur manifestè quod Petrus prælatus fuit populis universis, cum vas illud orbem & universitas contentorum in eo universas significet tam Iudæorum quam gentilium nationes. Quia licet postmodum ex revelatione divina ab Antiochia fuerit translatus ad Urbem, non tamen concessum sibi primatum deseruit, sed secum potius cathedræ transfudit principatum; cum Dominus eum nullatenus ignorare voluerit quem Romæ præviderat martyrio coronandum. Sanè cum ipse postmodum, immo Dominus potius, qui se in eo pati asseruit, *Venio*, dicens ad eum, *Romam iterum crucifigi*, Romanam Ecclesiam suo sanguine consecrasset, primatum cathedræ successori reliquit, totam in eo transferens plenitudinem potestatis. Pro patre siquidem nati sunt ei filij, quos Dominus principes super omnem terram constituit. Sanè cum per navem Petri Ecclesia figuretur, tunc Petrus juxta præceptum dominicum navim duxit in altum, laxans prædicationis retia in capturam, cum ibi posuit Ecclesiæ principatum ubi vigeat secularis potentie altitudo & imperialis monarchia residebat, cui ferè singulæ nationes sicut flumina mari tributa solvebant certis temporibus constituta. Ipse quidem primus Iudæos, ipse quoque primus gentiles post Ascensionem Christi convertit ad fidem, ut super utroque fideles se primatum accepisse monstraret, cum ipso die Pentecostes ad verbum exhortationis ipsius circiter tria millia Iudæorum baptismi receperint sacramentum, ac deinde Cornelium centurionem & suos quasi primitias gentium ad revelationem angelicam baptizarit. Cum autem inter Apostolos ad consultationem credentium magna fieret conquisitio utrum oporteret circumcidi fideles & legem Moisaicam observari, Petrus principali fretus auctoritate respondit: *Ut quid tentatis Deum imponere iugum super cervicem discipulorum quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Cujus sententiam subsecutus, apostolicum super ista quæstione decretum Iacobus promulgavit, Paulus autem postquam abiit in Arabiam, & iterum rediit in Damascum, deinde post tres annos venit Hierusalem, ut Petrum videret, cum eo evangelium quod gentibus prædicaverat collaturus, ne fortè in vacuum curreret aut etiam

Tom. I.

currisset; cui etiam singularis apostolatus privilegium recognoscens antonomasticè scribit de illo: *Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est mihi inter gentes*. Ut autem quem Dominus ceteris præfecit privilegio dignitatis, præ ceteris quoque virtutis privilegio decoraret, tantam ei contulit potestatem quod ad umbram ejus salvabantur infirmi; ut in eo intelligatur esse completum quod Dominus dixerat: *Qui credit in me, opera qua ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*. Hæc autem non idcirco præmisimus ut nos qui ei, licet indigni, successimus in apostolatus officio, extra nos ambulare velimus in magnis, aut super nos in mirabilibus exaltare, cum à Domino dictum esse noverimus: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur*. Unde cum inter discipulos ejus quæstio de majoritate fuisset exorta, respondit: *Qui major est inter vos, erit omnium servus; & qui præcessor, tanquam ministrator*, seipsum in exemplo proponens: *Quia filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Propter quod & ipse Petrus aiebat: *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo*. Nam alia dicit scriptura: *Quanto major es, humiliat te in omnibus*. Et iterum: *Principem te constituerunt; noli extolli, esto in illis quasi unus ex illis*. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sed quia per hæc & alia, sicut credimus, quæ tua non debet fraternitas ignorare, apostolicæ sedis magisterium recognoscens, eam super quibusdam dubitationum articulis consulere decrevisi; quod utique gratam gerimus & acceptum, & tuam exinde prudentiam in Domino commendamus; non quod existimemus nos quasi sufficientes ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui dat omnibus affluenter & non impropere, qui linguas infantium facit disertas, & aperit ora mututorum. Quælivisti etenim dubitans & addiscere volens qua ratione Romanam Ecclesiam unam & universalem in nostris litteris vocaverimus, velut in quâdam specie specialissimas jam divisam, cum & unus sit pastor & unum ovile, licet sub uno pastorem principe Christo plures sint constituti pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod Ecclesia duabus ex causis universalis vocatur. Intelligentia namque dictorum ex causis est sumenda dicendi; cum non res sermoni, sed rei sit sermo subjectus. Dicitur enim universalis Ecclesia quæ de universis constat Ecclesiis, quæ Græco vocabulo quoque catholica nominatur. Et secundum hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur universalis Ecclesia illa una quæ sub se continet Ecclesias universas. Et secundum hanc nominis \*rationem Romana tantum universalis Ecclesia nuncupatur, quoniam ipsa sola singulari privilegio dignitatis ceteris est prælata; sicut & Deus universalis dominus appellatur, non quasi jam divisus in species aut specialissimas aut etiam subalternas, sed quoniam universa sub ejus dominio continentur. Est enim una generalis Ecclesia, de qua veritas inquit ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et sunt multæ

\* Cod. Eccl. Pod. expositionem

particulares Ecclesie, de quibus Apostolus ait: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Ex omnibus tamen una consistit, tumquam ex particularibus generalis; & una praeeminet omnibus; quoniam cum unum sit corpus Ecclesie, de quo dicit Apostolus, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, illa velut caput ceteris membris excellit. Quaevisisti etiam & te asseruisti non modicum dubitare, cupiens addiscere causam, quam acceptabis sine contradictione rationem habentem; cum David de Hierusalem dicat in psalmis: *Mater Sion dicit, homo & homo factus est in ea*, utpote in qua Christus dignatus est converteri, praedicare pariter & docere, ac nostram operari salutem, in ea nostrae ponens fidei fundamentum, propter quod mater merito debet nuncupari, cum ex ea doctrina processerit salutaris, cur mater omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia \* dicatur, quae ab Hierosolymitana Ecclesia orthodoxae fidei sacramenta recepit, cum Apostolus etiam inquitens se inque ad Illyricum evangelium praedicasse, quod quasi a Hierusalem inceperit evidenter ostendatur. Licet autem ex praemisissis intelligatur & huic \* inquisitioni responsum, cum Ecclesia Romana dicatur mater, non ratione temporis, sed ratione dignitatis; (Nam etsi secundum Iohannem Andreas primus venerit ad fidem quam Petrus, praelatus est tamen Petrus Andreae, cum & in Apostolorum catalogo semper primus quasi praecipuus praemittatur; non quod Petrus prior sit tempore, sed prior dignitate) ad omnem tamen dubietatem tollendam tua fraternitas debet distinguere secundum diversas nominis rationes inter Romanam & Hierosolymitanam Ecclesias; quod illa dicenda sit mater fidei, quoniam ab ea sacramenta fidei processerunt, illa vero dicenda sit mater fidelium, quoniam privilegio dignitatis univrsis fidelibus est praelata; sicut etiam synagoga dicitur mater Ecclesiae, quoniam & ipsa praecessit Ecclesiam, & Ecclesia processit ab ipsa, (juxta quod eadem dicit in Canticis: *Filius matris meae pugnauerunt adversus me*. Rursumque: *Paululum cum pertransisset inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam donec introducam illum in domum matris meae*.) nihilominus tamen Ecclesia \* mater est generalis, quae novo semper foetu secunda concipit, parit, & nutrit. Concipit catechizando quos instruit, parit baptizando quos abluit, nutrit communicando quos reficit. De qua Propheta dicit in psalmo: *Habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum letantem*. Et idem Propheta: *Leva, inquit, in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt. Venerunt tibi; filij tui de longe venient, & filia tua de latere consurgent*. Gaudemus autem non modicum (& utinam in te ac super te nostrum gaudium impleatur) quod apostolatus nostri sollicitudinem super unione Latinorum & Graecorum Ecclesiae commendasti pro divino zelo & ignito proposito quae nos expressisti habere in tuarum serie litterarum. Super qua etiam imperialis nobis celsitudo rescripsit, quod (ut verbis ejus utamur) nostrae sanctitatis est secundum praecedentes synodales operationes pro requisitis dogmatibus synodalem conventionem fieri dispensare, & nostra sic sanctitate faciente, sanctissima quae apud vos est Ecclesia non ad conventum tardabit. Licet autem, sicut ex praedictis apparet, Ecclesia

\* Cod. Fed.  
nuncupatur

\* Cod. reg.  
inquisitioni

\* Cod. reg.  
mater nostra est

Romana non tam constitutione synodica quam divina caput & mater omnium Ecclesiarum existat, & ideo nec pro disparitate rituum nec dogmatum diversitate differere debueris quin nobis, sicut tuo capiti, secundum antiquum & canonicum statum benignius & devotius obedires, cum certa non sint pro dubiis relinquenda, nos tamen pro multis necessitatibus ecclesiasticis disposuimus, auctore Domino, generale convocare Concilium & synodalem celebrare conventum, ad quem si vocatus a nobis juxta ipsius Imperatoris promissionem concurreris, cum haec dogmata sint quae nostris litteris requisivimus, ut scilicet membrum ad caput & ad matrem filia revertatur, Ecclesiae Romanae reverentiam & obedientiam debitam impensurus, te sicut fratrem carissimum & praecipuum membrum Ecclesiae benigne & hilariter admitteremus, de ceteris auctoritate sedis apostolicae ac facti approbatione Concilij cum tuo & aliorum fratrum nostrorum consilio quae statuenda fuerint statuentes. Alioquin cum scandalum Ecclesiae non debeamus ulterius sustinere, qui de area Domini zizania debemus & paleas exsulare, dissimulare non poterimus quin in ipso Concilio, si desuper datum fuerit, in hoc negotio de fratrum nostrorum consilio procedamus. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus per te, vel si forte iusta praepeditus occasione nequiveris, per procuratores idoneos & aliquos de majoribus Ecclesiarum Praelatis, statuto tempore ad Concilium vocatus accedas, apostolicae sedis obedientiam & reverentiam secundum statum canonicum praestiturus; ne si secus actum fuerit, quod non credimus, tam in Imperatorem ipsum, qui potest si voluerit efficere quod mandamus, quam in te & Graecorum Ecclesiam procedere compellamur. Super ceteris autem dilectum filium Iohannem Capellanum & familiarem nostrum apostolicae sedis Legatum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris obtentu suae religionis & honestatis acceptum, ad imperialem excellentiam duximus designandum, monentes & exhortantes attentius quatenus eum sicut Legatum apostolicae sedis benigne recipias & honores, & ea sine dubitatione qualibet credas quae tibi ex parte nostra duxerit proponenda.

L XII. Cum autem Imperator & Patriarcha litteras hujusmodi recepissent, & eas sibi fecissent diligenter exponi, non minimum doluerunt, de his quae prius scripserant penitentes; quoniam Imperator ex promissione sua cognoscebat se obligatum quod cum Romanus Pontifex convocaret Concilium generale, ipse debebat Graecorum Ecclesiam ad Concilium destinare, statuta Concilij recepturam. Patriarcha vero ex responsionibus apostolicis super suis consultationibus factis cognoscebat se tam rationibus quam auctoritatibus coarctatum ad obedientiam Romano Pontifici exhibendam. Imperator igitur habito cum Graecis longo consilio, ad ultimum sic respondit, quod si Romanus Pontifex faceret in Graecia celebrari Concilium, ubi quatuor antiqua Concilia fuerant celebrata, illuc Graecorum Ecclesia suos mitteret responsales; & fingens se longius ire, ad aliam materiam se converterit, mittens summo Pontifici litteras in quibus nitebatur probare quod imperium sacerdotio praepollebat; ad quas ei Dominus Papa rescripsit hoc modo.

LXIII. Solitæ benignitatis affectu recepimus litteras quas per dilectum filium Archidiaconum Durachij, virum providum & fidèlem, imperialis excellentia destinavit; per quas intelleximus quod littere quas per dilectum filium Iohannem Capellanum nostrum tunc apostolicæ sedis Legatum tibi transmissimus, imperio tuo præsentatæ fuerant & perlectæ. Mirata est autem imperialis sublimitas, sicut per eandem nobis litteras intimasti, quod te visi sumus aliquantulum increpare; licet non increpandi animo, sed affectu potius commonendi, quæ scripsimus nos meminimus scripsisse. Huic autem tuæ admirationi non causam sed occasionem præbuit, sicut ex eisdem coniecimus litteris, quod legisti beatum Petrum Apostolorum principem sic scripsisse: *Subditi estote omni humana creatura propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Volens enim, de quo nos rationabiliter admiramur, imperatoria celsitudo per hæc & alia quæ induxit imperium sacerdotio dignitate ac potestate præferre, ex auctoritate præmissa triplex trahere voluit argumentum. Primum ex eo quod legitur, *Subditi estote*, secundum ex eo quod sequitur, *Regi tanquam præcellenti*, tertium ex eo quod subsequenter adjectum est, *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, per primum, subesse sacerdotium, per secundum, imperium præminere, per tertium, Imperatorem tam in Sacerdotes quam laicos jurisdictionem immo etiam gladij potestatem accepisse præsumens. Cum enim & boni quidam sint sacerdotes, & quidam eorum malefactores existant, is qui secundum Apostolum gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, in malè facientes Presbyteros excessus præsumptos ultore potest gladio vindicare, cum inter Presbyteros & alios Apostolus non distinguat. Verum si & personam loquentis & eorum ad quos loquebatur vim locutionis diligentius attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum provocabat. Si enim per id quod dixit, *Subditi estote*, sacerdotio imponere voluit jugum subjectionis & eis prælationis auctoritatem \* conferre quibus eos subiectos esse commonebat, sequeretur ex hoc quod etiam servus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur, *omni humana creatura.* Quod autem sequitur, *Regi tanquam præcellenti*, non negamus quin præcellat in temporalibus Imperator, illis duntaxat qui ab eo recipiunt temporalia. Sed Pontifex in spiritualibus antecellit; quæ tantò sunt temporalibus digniora quanto corpori est anima præferenda. Licet nec simpliciter dictum fuerit, *Subditi estote*, sed additum fuit, *propter Deum*; nec purè scriptum sit, *Regi præcellenti*, sed interpositum forsitan non sine causa sit, *tanquam.* Quod autem sequitur, *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, intelligendum non est quod Rex vel Imperator super omnes bonos & malos gladij potestatem acceperit, sed in eos solummodo qui utentes gladio, eius sunt jurisdictioni commissi, juxta quod veritas ait: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Non enim potest aut debet quisquam servum alterius judicare, cum servus suo domino secundum Apostolum stet aut cadat. Ad id etiam

induxisti quod licet Moyses & Aaron secundum carnem fratres exiterint, Moyses tamen princeps populi, Aaron sacerdotij potestate præerat, & Iesus successor ipsius imperium in Sacerdotes accepit. David quoque Rex Abiathar Pontifici præminebat. Ceterum licet Moyses dux populi fuerit, fuit etiam & sacerdos, qui Aaron in sacerdotem innoxit, & cui Propheta sacerdotium recognoscens, *Moyses*, inquit, *& Aaron in sacerdotibus ejus.* Quæ verò de Iesu ad commendandam prælationem ejus scripsisti, magis secundum spiritum quam litteram debent intelligi, (quia secundum Apostolum, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*) pro eo quod ipse veri Iesu figuram expressit, qui populum suum in terram promissionis induxit. David etiam, quamvis diadema regium obtineret, Abiathar Sacerdoti non tam ex dignitate regia quam auctoritate prophetica imperabat. Verum quicquid olim fuerit in veteri testamento, nunc aliud est in novo, ex quo Christus factus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; qui se non ut Rex, sed ut sacerdos in ara crucis hostiam obtulit Deo patri, per quam genus redemit humanum, circa illum præcipue qui successor est Petri Apostoli, sed & Vicarius Iesu Christi, potissimes prerogativam sacerdotij ex eo intelligere quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo, non Regi, sed Sacerdoti, nec de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet qui erant in Anathoth: *Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & dissipas, ædifices & plantes.* Dictum est & in lege divina: *Diis non detrahes, & principem populi tui non maledices:* quæ Sacerdotes Regibus anteponebat, istos deos & illos principes appellavit. Præterea nosse debueras quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli, luminare majus & luminare minus, luminare majus ut præset diei, & luminare minus ut præset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus; quia nomine cæli præsignatur Ecclesia, juxta quod veritas ait: *Simile est regnum calorum homini patrifamilias, qui summo mane conduxit operarios in vineam suam.* Per diem verò spiritualis accipitur; & per noctem carnalis, secundum propheticum testimonium: *Dies diei erudit verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Ad firmamentum igitur cæli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas magnas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas; sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor est; ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hoc autem si prudenter attenderet imperatoria celsitudo, non faceret aut permitteret venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Constantinopolitanum, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere, cum alij Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis suis, sicut debent, reverenter assurgant, & eis juxta se honorabilem sedem assignent. Nam & piissimus Constantinus quantum honoris exhibuerit Sacerdotibus, tua, sicut credimus, \* prudentia non ignorat. Nos autem, etsi non increpando scripserimus, potuissent tamen rationabiliter increpare; cum beatus Apostolus

Vide lib. 1. epist. 401. & l. 1. epist. 194. & addit. ad l. 1. de concord. fac. & imp. cap. 1.

\* In terr. compilar. dicitur. io

Paulus Episcopum instruens ad Timotheum scripsisse legatur: *Prædica verbum, in sa oportune importune argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Non enim os nostrum debet esse ligatum, sed patere debet ad omnes; ne secundum *\*Prophetam* simus canes muti non valentes latrare. Vnde correctio nostra non debuit esse molesta, sed magis accepta: quia pater filium quem diligit corripit, & Deus quos amat arguit & castigat. Debitum igitur officij pastoralis exequimur cum obsecramus, arguimus, increpamus, & non solum alios, sed Imperatores & Reges opportunè & importunè ad ea studemus inducere quæ dominicæ sunt placita *\*voluntati.* Nobis enim in beato Petro sunt oves Christi committæ, dicente Domino, *Pasce oves meas,* non distinguens inter has oves & alias; ut alienum à suo demonstraret ovili qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores; ut illud tamquam notissimum omittamus quod Dominus inquit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* nihil excipiens qui dixit, *Quodcumque.* Verùm his diutiùs insistere nolumus, ne vel contendere videamur vel in huiusmodi delectari; cum si gloriari expediat, non in honore, sed onere, non in magnitudine, sed in sollicitudine sit potius gloriandum; cum & Apostolus in infirmitatibus gloriatur. Novimus enim scriptum: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.* Et iterum: *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Et alibi: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Propter quod exaltationem nostram in humilitate ponimus, & humilitatem exaltationem maximam reputamus. Vnde etiam servos, non solum Dei, sed & servorum Dei nos esse scribimus & fatemur, & tam sapientibus quam insipientibus secundum Apostolum sumus debitores. Vtrum autem imperatoriam excellentiam ad bonum & utile per litteras nostras duxerimus invitandam, utrum iusta tibi suggererimus & honesta, tua celsitudo discernat, cum non nisi ad unitatem Ecclesiæ ac terræ Hierosolymitanæ subsidium nos te meminerimus invitasse. Inspiret igitur menti tuæ is qui ubi vult spirat, & qui habet corda Principum in manibus suis, ut consiliis nostris & monitis acquiescas, & id agas quod ad honorem divini nominis, Christianæ religionis augmentum, & salutem animæ tuæ merito debeat provenire. Nos autem, quicquid tu egeris, quod expedire viderimus faciemus. Vtinam autem illum egregium prædecessorem tuum inclytæ recordationis Manuelem Imperatorem fatageres in devotione sedis apostolicæ verbis & operibus melius imitari, ut per ejus auxilium & consilium, sicut illi, sic tibi & imperio tuo melius proveniret, saltem amodo supplens quod hæcenus neglexisti. Prædictus autem Archidiaconus quod à nobis audivit excellentiæ tuæ fideliter poterit intimare.

LXIV. Post hoc autem idem Imperator summo Pontifici supplicavit ut compelleret Regem Hierusalem ad restitutionem Cyprî, quam asserbat ad Constantinopolitanum imperium pertinere. Cui dominus Papa rescripsit hoc modo.

Recepimus litteras quas per dilectum filium B. Priorem Pisanoꝝ punitium tuum imperatoria

nobis celsitudo direxit *\*benignitate* qua decuit, & notavimus omnia quæ curasti per eas *\*auribus* apostolicis intimare. Petebas autem carissimum filium nostrum in Christo Regem Hierosolymorum illustrem ad restitutionem Cyprî ad Constantinopolitanum imperium pertinentis per excommunicationis sententiam auctoritate nostra compelli, paratus magnos eidem & tam Hospitalariis quam Templariis sub idonea cautione in terræ sanctæ subsidium reddere ministrare; cum eam inclytæ recordationis Richardus Rex Angliæ, violato pacis fœdere quam cum imperio tuo fecerat, invasisset, ad cuius recuperationem licet validum dispossuisses stolum destinare, distulisti tamen hæcenus id efficere studio pietatis, ne sanguinem Christianorum effunderes & terræ sanctæ commodum impedires. Nos autem deliberantes super hoc quid esset agendum, accepimus quod prædictus Rex Cyprum de manu cuiusdam eruerat qui de ipsa Constantinopolitano imperio nullatenus respondebat. Præterea occidentales nos Principes rogaverunt ut quoniam ex insula Cyprî non modicum subsidium orientali provinciæ ministratur, imperialem magnificentiam per nostras litteras moneamus ne statu terræ sanctæ pendente Regem ipsius super eadem insula molestares: quia de facili posset accidere ut si te, quem in factis Hierosolymitanæ provinciæ fautorem & defensorem se credidit invenire, sentiret forsitan inimicum, dum minus posset imperiali potentia & paganorum violentiæ pariter repugnare, neglecta sollicitudine terræ sanctæ, de qua sibi minus commodi provenit, plus laboris, ad eam se converteret defensandam ex qua plus perciperet & quam facilis se posse crederet defendere, sicque inde pateretur religio Christiana dispendium unde Constantinopolitanum imperium nullum susciperet incrementum. Quapropter super hoc & nos imperio tuo scripsisse meminimus, & occidentales Principes suas super hoc serenitati tuæ credimus litteras destinasse. Cum igitur nobis de rei veritate non plenè constaret, antequam magnificentia tua possimus super ea finaliter respondere, habere nos convenit notitiam pleniorum; ad quam plenius obtinendam tam ipsum Hierosolymitanum Regem quam etiam occidentales Principes per litteras & nuntios sollicitè requiremus; ut ita demum petitioni tuæ certius valeamus dare responsum. Super eo verò imperialem prudentiam in Domino commendamus quod maluit ab impugnatione *\*cessare* quam sanguinem Christianorum effundere vel Hierosolymitanum præsidium impedire, celsitudinem tuam monentes & exhortantes attentius quatenus ab hoc proposito non recedas; quia nos ad honorem & profectum tuum, quantum cum honestate nostra poterimus, intendemus.

LXV. Cum autem regnum Blacorum & Bulgarorum à longissimis retro temporibus se ab obedientia sedis apostolicæ subtraxisset, Dominus Innocentius, tamquam bonus pastor, cupiens errabundas oves ad caulas reducere, direxit Dominicum Archipresbyterum Brundisium, virum in Græca & Latina lingua peritum, ad Iohannitium dominum Blacorum & Bulgarorum, qui à Græcorum dominio se subdlexerat; per quem tales ei litteras destinavit.

Respexit Deus humilitatem tuam & devotionem Lib. 1. epist. 266.

\*Cod. Colbert. & Andegav. Propheticum verbum

\*Idem Codd. majestati.

Cod. Reg. benigne affectione  
Idem Cod. notis aurius signatis.

Cod. P. ad. addit malorum

quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris haecenus habuisse, & inter tumultus bellicos & guer-  
rarum discrimina non solum potenter defendit,  
sed & misericorditer & mirabiliter dilatavit. Nos  
autem audito quod de nobili urbis Romae profa-  
pia genitores tui originem traxerunt, & tu ab eis  
& sanguinis generositatem contraxeris & sinceram  
devotionis affectum quem ad sedem apostolicam  
geris quasi hereditario jure, jampridem te propo-  
suimus & litteris & nuntiis visitare: sed variis Ec-  
clesiae sollicitudinibus detenti, haecenus non po-  
tuimus nostrum propositum adimplere. Nunc ve-  
ro inter alias sollicitudines nostras hanc etiam assu-  
mendam duximus, immo consummandam potius  
jamdudum assumptam, ut per Legatos & litteras  
nostras te in laudabili foveamus proposito & de-  
votione sedis apostolicae solidemus. Dilectum ita-  
que filium nostrum Dominicum Archipresbyterum  
Græcorum de Brundisio ad te praesentialiter  
destinantes, monemus nobilitatem tuam & exhor-  
tamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta  
mandamus, quatenus ipsum humiliter & devotè  
recipiens, honorificè ac benignè pertractes, & per  
eum plenè tuam nobis devotionem exponas.  
Cum enim plenè nobis per ipsum de sinceritate tui  
propositi ac devotionis affectu constiterit, ad te  
proposuimus majores nuntios vel Legatos potius  
destinare, qui tam te quam tuos in apostolicae sedis  
dilectione confirmet, & de benevolentia nos-  
tra efficiant certiores.

LXVI. Iohannitus autem nuntios & litteras  
Domini Papae devotè recipiens, rescripsit hoc  
modo.

lib. 5. epist. 115.

Venerabili & sanctissimo patri summo Pontifi-  
ci, ego Calojohannes Imperator Bulgarorum &  
Blacorum, gaudium & salutem mando tibi. No-  
tum facimus sanctitati vestrae quod nos recepimus  
vestras sacrosanctas litteras, quas nobis portavit  
religiosus Archipresbyter Brundisius, & nos re-  
putavimus eas caris super omne aurum & quem-  
libet lapidem pretiosum. Vnde multas egimus gra-  
tias omnipotenti Deo quia visitavit nos servos  
suos indignos secundum suam inestimabilem bo-  
nitatem, & respexit humilitatem nostram, & re-  
duxit nos in memoriam sanguinis & patriae nos-  
trae, à qua descendimus. Et nunc, sancte pater,  
tamquam bonus pastor, & caput omnium fidelium  
Christianorum, filios sanctae catholicae & aposto-  
licae sedis congregare volens in unum, requisitis  
nos remotos secundum corpus. Et quamvis fra-  
tres mei bonae memoriae jamdudum voluerint mit-  
tere sanctitati vestrae, non tamen ad vos perveni-  
re propter multos nostros contrarios poterunt.  
Et nos similiter probantes semel, secundo & ter-  
tio ad vos dirigere, deducere non potuimus quod  
optabamus in fructum. Et nunc videntes quod  
sanctitas vestra dignata est mittere imperio nos-  
tro, tamquam proprii & dilectissimi filii sicut  
amantissimo & desiderantissimo patri mittimus mi-  
sericordiae vestrae religiosum electum Brandizu-  
berensem fidelem nostrum Presbyterum Blasium,  
una cum fidei nuntio vestro Archipresbytero  
Brundisino, referentes vobis ex parte nostra gra-  
tiarum actiones & amicitiam, & servitium sicut  
patri spirituali & summo Pontifici. Sanctissime  
pater, significasti nobis per sacras litteras vestras  
quod nos significaremus vobis quid ab Ecclesia

\* f. effectum.

Romana petamus. Hoc autem petit imperium  
nostrum ab apostolica sede, ut nos simus in Ec-  
clesia Romana sicut matris filialitate firmati. In-  
primis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra  
coronam & honorem tamquam dilectus filius, se-  
cundum quod Imperatores nostri veteres habue-  
runt. Unus fuit Petrus, alius Samuel, & alij qui  
eos in imperio praecesserunt, sicut in libris nostris  
invenimus esse scriptum. Nunc autem, si placi-  
tum est sanctitati vestrae nobis istud implere, quic-  
quid imperio nostro duxeritis injungendum, ad  
honorem Dei & Ecclesiae Romanae complebitur.  
Nec miremini quod nuntius vester citius non re-  
dit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum,  
quia multi venerunt in imperium nostrum nos de-  
cipere cogitantes; sed nos ab omnibus bene novi-  
mus praecavere; sed nos pro eo testimonium re-  
cepimus praetaxati, & ei acquievimus. Verum,  
si placet vobis, sanctissime pater, mittite nobis  
magnos nuntios de quibus nobis per litteras nun-  
tialtis, & istud destinate cum eis; & tunc certifi-  
cabitur de prima missione pariter & secunda. Det  
vobis Dominus multos annos.

LXVII. Basilius quoque Bulgarorum Archie-  
piscopus hujusmodi litteras Papae transmisit.

Honorantissimo & sanctissimo summo Pontifici  
Papae, ego Basilius indignus Archiepiscopus san-  
ctitatis vestrae, & pastor de Zagora, salutem, gau-  
dium, & adorationem merito vobis tamquam pa-  
tri nostro spirituali. Quamvis non possumus vos  
corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter ado-  
ramus, notificantes sanctitati vestrae quod cum nos  
vidimus missum à vobis Dominicum Archipresby-  
terum Brundisium, Deo gratias egimus, qui non  
despexit nos humiles & indignos servos suos estu-  
rientes & sitientes gratiam & benedictionem san-  
ctae catholicae & apostolicae sedis: quia Domini  
nostri Imperatores & nos volumus à multis annis  
mittere ad vos, sed non potuimus. Et nunc per  
voluntatem potentis Dei & vestrae sanctitatis, quia  
misistis Domino nostro Imperatori orationem &  
benedictionem, valde bene fecistis. Nos autem  
haec ab Imperatore discentes, qui fecit nos vocari,  
levavimus manus ad caelum cum universo populo  
sic dicentes: Memor fuit nostri Dominus, quod  
nos non cogitavimus. Vnde nos omnes parvi &  
magni, sicut boni filij, rogamus vos sicut bonum  
patrem ut Dominus noster Imperator quod petit à  
vobis obtineat, quia dignus est hoc obtinere; quia  
ipse ac totum imperium ejus bonam devotionem ad  
Ecclesiam Romanam habent, tamquam heredes  
descendentes à sanguine Romanorum. Item roga-  
mus sanctitatem vestram quod sint vobis recom-  
mendati filius socius noster Blasius Presbyter  
Brandizuberensis electus, una cum fidelissimo  
nuntio vestro Dominico Archipresbytero Brundu-  
sino; quia eis commisit Dominus noster Calo-  
johannes Imperator sua secreta; & quod isti dix-  
erint vobis & nostrae litterae, firmum habeatis. Et  
precamur sanctitatem vestram quod festinetis ve-  
stros nuntios destinare.

LXVIII. Receptis his litteris, Dominus Papa  
transmisit ad eos Iohannem Capellanum suum cum  
apostolicis scriptis habentibus hunc tenorem.

Calojohanni Domino Blacorum & Bulgarorum  
Apostolica sedes, cui licet immeriti praesidemus,  
evangelici verbi memor quo beato Petro Apосто-

Lib. 5. epist. 117.

\* Alibi legitur  
Brandibuzienſis;  
interdum Brandul-  
berenſis.

Lib. 5. epist. 116.



lorum principi & cuilibet successori ejus intelligit esse dictum, *Si diligis me, pasce oves meas*, ut puræ dilectionis affectum habere se ostendat, oves ejus pascere satagit, & in unius Ecclesiæ gremio remotas etiam congregare contendit, ut sit unum ovile & unus pastor. Cùm enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exhibeat lenitatem, convocare ipsos & congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos, & eos tum per Legatos tum per litteras suas visitat, ut & pastor suas oves agnoscat, & cognoscant oves ovile pariter & pastorem. Hoc igitur attendentes, jampridem nobilitatem tuam per nuntium & litteras nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu quem habes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, majores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum profapia diceris descendisse, quam degentem sub te populum verbo pasceres & exemplo, & de benevolentia & gratia sedis apostolicæ redderent certiosem. Et licet de nuntio nostro primum tua nobilitas dubitaverit, sciens quod angelus sathanæ interdum se in lucis angelum transfiguratur, intellecta postmodum per nobilis viri Prætaxari testimonium veritate, benignè ac honorificè ipsum recipere procurasti, sicut transmisisti ad nos tuæ litteræ continebant. Rescripsisti autem nobis per eum & humiliter intimasti quod litteras nostras reputaveras \* preciosas super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum, & Deo gratiarum exsolveras actiones quod te dignatus fuerat visitare. Addidisti etiam quod licet inelytæ recordationis fratrum tuorum sequutus exemplum, semel & secundo & tertio ad nos nuntios \* dirigere tentavisses, non potueras tamen quod desideraveras adimplere, sed nunc per nostras litteras confortatus B. Presbyterum Brandizuberensem electum cum nostro nuntio destinabas; quamvis idem electus ad nos propter viarum discrimina non potuerit pervenire. Petisti verò humiliter ut coronam tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustri memorie Petro, Samueli, & aliis progenitoribus tuis in libris tuis legitur concessisse. Nos igitur ut super hoc majorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligenter; ex quibus evidenter apparet quod in terra tibi subjecta multi Reges fuerant coronati. Præterea continebatur in eis quod tempore bonæ memorie Nicolai Papæ prædecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad cujus consulta sæpissime respondebat, cum toto regno sibi commisso ad prædicationem ejus fuerat baptizatus, & Rex ipse ab eo Archiepiscopum postularat. Legatus quoque Michaelis Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papæ prædecessori nostro regias litteras præsentarat, & postularat ab eo ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad sedem apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Cùmque idem Adrianus illuc cum duobus Episcopis quendam Subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Græcorum, & promissionibus circumventi, Romanis ejectis Græcos Presbyteros receperunt. Licet igitur tantæ memorialitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, ad tuam præsentiam mitteremus, nihilominus tamen dilectum filium Iohannem Capellatum & familiarem

nostrum, apostolicæ sedis Legatum, virum providum & discretum, quem nos & fratres nostri suæ probitatis & religionis obtentu inter ceteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachiis amplexamur, ad te duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut & in tota terra tua quoad spiritualia corrigat quæ corrigenda cognoverit, & statuat quæ secundum Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque Archiepiscopopo terræ tuæ palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, destinamus, ei juxta formam quam sub bulla nostra dirigimus conferendum. Eidem quoque Legato nostro dedimus in mandatis ut si qui forsân in terra tua promovendi ad ordines fuerint vel in Episcopos consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat Episcopos & ordinandos ordinet & consecret consecrandos. Mandamus quoque ipsi ut de corona progenitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres quàm alia documenta inquirat diligentius veritatem, & de omnibus tecum tractet quæ fuerint pertractanda; ut cùm per ipsum & nuntios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores, consultius & maturius prout procedendum fuerit procedamus. Monemus igitur nobilitatem tuam & hortamur in Domino quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram benignè suscipias & honorificè studeas pertractare, salubria monita & statuta ipsius & tu ipse recipiens & ab universa Bulgarorum & Blacorum \* multitudine recipi faciens & servari. Expedi enim tibi tam ad temporalem gloriam quàm salutem æternam ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, & populus terræ tuæ, qui de sanguine Romanorum se asserit descendisse, Ecclesiæ Romanæ instituta sequatur, ut etiam in cultu divino mores videantur patrios redolere.

LXIX. Item Archiepiscopo de Zagora.

Quia nobis in beato Petro Apostolorum principe intelligimus esse dictum, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, cùm ab innumeris solitudinibus quæ nobis incumbunt ad tranquillitatem convertimur nostræ mentis, remotos etiam fratres & coepiscopos nostros, quos etsi habeamus absentes corpore, præsentem tamen spiritu reputamus, confirmamus in iis quæ ad salutem eorum & Ecclesiæ pertinent unitatem; ut sicut sunt in partem solitudinis evocati, sic etiam nostris monitis roborentur. Sanè cùm unum sit Ecclesiæ sanctæ corpus, juxta illud Apostoli, *Omnes unum corpus sumus in Christo*, æstimari non debet in uno corpore capita esse plura; sed is duntaxat post Dominum intelligendus est Ecclesiæ Dei caput quem Iesus Christus Dominus noster vicarium sibi substituit & caput etiam nominavit, dicens ad Petrum, *Tu vocaberis Cephas*, quod & Petrus interpretatur & caput. Sanè cùm ei Dominus pascendas commisit oves suas, *Pasce*, inquit, *oves meas*, ab ovili Christi, quæ est Ecclesia, extraneum se demonstrat qui caput eum habere noluerit & pastorem. Nos ergo, quos Dominus licet immeritos vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores, ut paternæ dilectionis affectum circa Bulgarorum & Blacorum Ecclesiam, quæ à Romanis secundum carnem & sanguinem descendisse dicitur, per effectum operis monstraremus, jampridem dilectum filium Archipresbyterum

\* Sed. Pad.  
gratiosas

\* Edit. Tolef.  
destinare

Edit. Tolef.  
genue

Lib. 5. epist. 119.

Id. sup.

Id. sup.

præsbyterum Brundisium ad dilecti filij nobilis viri Calojohannis domini Bulgarorum & Blacorum præsentiam duximus destinandum, qui tam ipsum quam degentem sub eo populum Christianum in devotione sedis apostolicæ roboraret, & nos de puritate fidei & sinceritate dilectionis ipsius rediens redderet certiores. Gaudemus autem & tuam prudentiam in Domino commendamus quod apostolicæ sedis magisterium recognoscens, scripsisti gratiam & benedictionem sanctæ catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ te sitire ac Deo gratiarum actiones egisse quod prædictus nobilis nostris mernerat litteris visitari. Volentes igitur adhuc plenius te ac Ecclesiam tibi commissam in ecclesiastica unitate ac devotione sedis apostolicæ roborare, dilectum filium Iohannem &c. *ut in litteris videlicet missis Calojohanni usque amplexamur*, ad te ac nobilem memoratum duximus destinandum; cui etiam commissimus vices nostras, ut in tota terra ejusdem nobilis corrigat &c. *usque*, Per ipsum quoque fraternitati tuæ palleum &c. *in eundem ferè modum usque* conferendum. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus magisterium & primatum sedis apostolicæ recognoscens, & in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistas, & Legatum ipsum sicut personam nostram benignè recipias &c. *in eundem ferè modum usque* servati; ut qui à Romanis traxerunt originem, Ecclesiæ Romanæ instituta sequantur. Noveris autem quod eidem Legato nostro dedimus in mandatis ut si qui forsan in provincia tua &c. *in eundem ferè modum usque* procedamus.

LXX. Ille verò profectus palleum, mitram, & anulum præfato Archiepiscopo assignavit, recepto ab eo juramento fidelitatis & obedientiæ summo Pontifici & Ecclesiæ Romanæ in perpetuum exhibendæ. Cùmque à præfato Iohannitio sive Calojohanne domino Blacorum & Bulgarorum fuisset honorificè ac devotè susceptus, de ipsius consilio & assensu duos alios Metropolitanos in illo regno constituit, videlicet \* Belesbulnensem & Postolavensem, quos præfato Zagorensi tanquam Primati subjecit; & apud Trinovium nobiliorem ipsius provinciæ civitatem constituit primatiam. His igitur bene gestis, Iohannitius se ac regnum suum imperio Ecclesiæ Romanæ subjecit per privilegij paginam aurea bulla signatam, cujus tenor talis est.

In nomine patris & filij & spiritus sancti. Amen. Cùm placuit Domino nostro Iesu Christo me Dominum & Imperatorem totius Bulgaricæ & Blacicæ facere, inquisivi antiquorum nostrorum scripturas & libros & beatæ memoriæ Imperatorum nostrorum prædecessorum leges, unde ipsi sumpserunt regnum Bulgarorum & firmamentum imperiale, coronam super caput eorum & patriarchalem benedictionem; & diligenter perscrutantes, in eorum invenimus scripturis quod beatæ memoriæ illi Imperatores Bulgarorum & Blacorum, Simeon, Petrus, & Samuel, & nostri prædecessores coronam \* imperij eorum & patriarchalem benedictionem acceperunt à sanctissima Dei Romana Ecclesia & ab apostolica sede, principe Apostolorum Petro. Sed imperium meum voluit benedictionem & imperiale firmamentum coronæ capitis imperij sui suscipere & patriarchalem benedictionem ab

Tom. I.

Ecclesia Romana, ab apostolicæ sedis principe Apostolorum Petro, & à sanctissimo patre nostro universali Papa tertio Innocentio; & à quocunque patriarchalis benedictio & mandatum in civitate imperij mei Trinovi data & concessa fuit à Domino Papa faciendi & consecrandi Archiepiscopos, Metropolitanos, & Episcopos, & reliquas ecclesiasticas obsequutiones sacramentales, concedit imperium meum ut plenissimam in omni tenimento & imperij mei pertinentiis ipsi habeant potestatem. Ecce enim omnes totius imperij mei & tenimenti, & Patriarcha meus metropolitanus, Episcopi, Archiepiscopi, & cuncti Sacerdotes Romanæ subsint Ecclesiæ, & teneant legem & consuetudinem & observationem quas tenuerunt beatæ memoriæ Imperatores totius Bulgaricæ & Blacicæ, præci illi nostri prædecessores, & nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem imperium meum ad securitatem chrysobolum suum quod nunquam ab Ecclesia Romana & ab apostolica sede, principe Apostolorum Petro, ipsum videlicet imperium meum discedet, neque alij imperij mei Principes disgregabuntur; sed ut vocatus dilectus filius sacrosanctæ & apostolicæ Romanæ sedis principis Apostolorum Petri ero. Et deinceps quacunque terras Christianorum seu paganorum meum acquisiverit imperium, sub potestate & mandato ejusdem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ & apostolicæ sedis erunt. Et ut præsens chrysobolum imperij mei ratum & firmum habeatur, dedi imperium meum in manibus reverendissimi viri Iohannis sacrosanctæ Romanæ sedis Legati & Domini Papæ Capellani, in quo & nostrum pium & à Deo promotum subsignavit imperium anno sex millesimo septingentesimo duodecimo, indictione septima.

LXXI. Misit præterea Blasium Brandizuberensem Episcopum cum præfato Capellano Iohanne, per quem & quædam donaria in signum devotionis Domino Papæ transmisit & litteras hunc tenorem habentes.

Sanctissimo & dominatori & universali Papæ sedenti in sede beati Petri & domino patri regni mei tertio Innocentio Papæ sedis apostolicæ & Ecclesiæ Romanæ & magistro totius mundi. Spero in Deum salvatorem omnium quod bene & multum bene valeat sanctitas tua cum omnibus sedentibus circa thronum sanctitatis tuæ Cardinalibus sanctæ Ecclesiæ Romanæ. Noverit magna sanctitas tua quod ego filius tuus & Romanæ Ecclesiæ, Imperator omnium Bulgarorum & Blacorum, cum omnibus Principibus imperij mei multum bene sum per Deum & orationem tuam. Multotiens misit imperium meum nuntios suos ad sanctitatem tuam, sed non invenerunt opportunitatem transeundi ad sanctitatem tuam. Ideo certè non potuerunt transire, quia illi qui non habebant pacem cum imperio meo servabant vias. Postea mense Iunij præterito imperium meum [misit] Archiepiscopum meum & totius Bulgaricæ regionis & universalem sanctæ & magnæ Trinovicæ & magnum hominem imperij mei meritò nominatum Primatem & Archiepiscopum totius Bulgaricæ & Blacicæ nomine Basilium: qui cùm pervenisset Durachium, non fuit permittus transire ad sanctitatem tuam, ut compleret desiderium imperij mei sanctitas tua secundum consue-

e

\* Cod. reg. Eccl. Burdicensis.

\* Cod. reg. pro imperio.

rudinem prædecessorum meorum Imperatorum Bulgarorum & Blacorum Simeonis, Petri, & Samuelis progenitorum meorum & ceterorum omnium Imperatorum Bulgarorum. Verum, Deo adjuvante, & interventibus orationibus sanctitatis tuæ, venit ad me præsens nuntius apostolicæ cathedræ & primæ sedis principis Apostolorum & sanctæ & universalis Ecclesiæ Romanæ Iohannes Capellanus, & detulit mihi litteras ex præcepto sanctitatis vestræ & apostolicæ sedis, & pallevit dictum Archiepiscopum, & fecit eum Primate totius Bulgariæ & Blaciæ, & portavit imperio meo litteras sanctitatis tuæ, & exposuit quicquid ei sanctitas vestra mandavit; & repletum est cor meum gaudio magno, quoniam secundum voluntatem imperij mei donavit mihi Deus & sanctitas tua. Et rogo & deprecor magnam sanctitatem tuam ut compleat desiderium imperij mei, & mittat virgam pastoralem ad congregandas oves, & cetera quæ Patriarcha consuevit habere, & faciat præsentem Primatem & Patriarcham in sancta & magna Ecclesia Trinovæ primæ civitatis totius Bulgariæ, & habeat Ecclesia ipsa etiam post mortem istius Patriarchæ Patriarcham in perpetuum ex præcepto sanctitatis tuæ. Et quoniam grave esset propter longitudinem viæ & guerram hominum in obitu cuiusque Patriarchæ recurrere ad Ecclesiam Romanam, concedatur ab Ecclesia Romana Ecclesiæ Trinovæ ut sibi possit eligere & consecrare Patriarcham, ne ex ejus absentia terra illa sine benedictione remaneat & tua consecratio imperfecta, & redundet peccatum in sanctitatem tuam. Nunc autem petimus ut fiat christina ex præcepto sanctitatis tuæ in sancta & magna Ecclesia civitatis Trinovæ pro baptisimo Christianorum. Sciat sanctitas tua quod cum sciverint Romæ quod receperimus consecrationem à sanctitate tua, non dabunt mihi christina. Et aliud peto à sanctitate tua, ut mittas Cardinalem ad imperium meum, seu istum qui venit ad me, sive alium à sede apostolica, & des ei diademata & sceptrum secundum apostolicæ sedis & Apostolorum principis benedictionem, & mittat privilegium bullarum aurea bulla ad exemplar ipsius servandum perpetuo in Ecclesia Trinovæ. Et hæc omnia dent imperio meo, & consecrent & coronent imperium meum. Omnia autem prædicta mitti debent ad imperium meum à sanctitate tua. Videat præsens nuntius Episcopus Brandizuberensis Blasius ut possit referre quid tu scripseris manu propria. Et si hæc omnia impleverit sanctitas tua, ita reputabo cum profapia imperij mei & omnium Bulgarorum & Blacorum quod sumus dilecti filij orthodoxæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et de confinio Vngariæ, Bulgariæ, & Blaciæ relinquo iudicio sanctitatis tuæ ut dirigas negotium istud rectè & justè, ut non habeat peccatum anima sanctitatis tuæ, & ita habeat imperium meum justitias Bulgariæ & Blaciæ quod Rex Vngariæ habeat justitias Vngariæ, & cessent occisiones Christianorum in me & imperium. Sciat autem sanctitas tua quod quinque episcopatus Bulgariæ pertinent ad imperium meum, quod invasit & detinet Rex Vngariæ cum justitiis Ecclesiarum; & ipsi episcopatus sunt annihilati, & si justum est hoc fiat. Quicquid dicturus est præsens nuntius imperij mei Episcopus

\* id est, Constantinopolitani

Brandizuberensis Blasius sanctitati tuæ habeas verum; quoniam ex parte mea dicet.

LXXII. Per eundem præfatus Archiepiscopus tales summo Pontifici litteras destinavit.

Multas inclinationes & magnas preces ad Dominum & gloriosissimum & cathedralem apostolicæ sedis, patri totius Christianitatis, & Domino nostro Innocentio tertio Papæ, Archiepiscopus Basilius de minoribus & humillimis totius Bulgariæ & Blaciæ, vestram perfectam benedictionem. Adoro clementissimum Deum & beatissimam Dei genitricem Mariam ut sanam & gaudentem vestram sanctitatem meum inveniat scriptum. Et quod mea anima desideravit per octavundecimum annum, ecce hodie dedit nobis Deus & sancta tua oratio sedis beati Petri Apostoli & tuæ sanctitatis. Noscat sanctitas tua qualiter ego conversatus sum, tuam querens benedictionem. Mota est per mensem Julij, quarta die, sex millesimo septingentesimo undecimo, Indictione sexta, mea humilitas ad sanctum & gloriosissimum patrem nostrum Innocentium Papam Romanum, & fecit dies triginta in Durachio juxta mare; & cum vellem introire navim gratia transfretandi, tunc detinuerunt me Græci, & non dimiserunt transire, sed tenuerunt me apud Durachium per octo dies, & multa mea deprecatione erga Deum & beatissimum principem Apostolorum Petrum per sanctas tuas orationes dimiserunt me \* Latini. Nam consilium acceperant prociendi me in mare; sed eripuit Deus tuamque sancta oratio. Exiens autem de civitate, reversus sum in villa nuncupata Cavathocori, & ibi diebus viginti permansi, & inde misi duos bonos homines meos Romæ sanctitati tuæ; & utrum transiverint, necne, novit Dominus. Sed litteræ mihi ex parte Domini mei Imperatoris venerunt Domini Iohannis dicentes mihi: Revertere cito, quia hic pervenit Cardinalis à Domino Papa. Legens ergo litteras Imperatoris, & videns quoniam me vocavit, reversus sum, & perveni Drianum per mensem Septembrem, & inveni virum sanctum, justum, & rectum à tua sanctitate directum. Nomen ejus Iohannes Capellanus. Et dedit mihi litteras ex parte vestræ sanctitatis, & perlectæ mihi fuerunt. Unde valde anima mea est lætata; & manus meas ad cælum extendens, gratias Deo egi quia visitavit Dominus plebem suam, & pater noster beatus Papa querens ovem quæ perierat, ut eam reduceret in sancto ovili. Et sicut continebatur in litteris vestræ sanctitatis, sic Dominus Iohannes Capellanus fecit. Secundum edictam magnæ vestræ sanctitatis vestram mihi benedictionem dedit, & largiens mihi palleum ad plenitudinem pontificalis officij, mense Septembri, octavo die, in festo natiuitatis sanctissimæ nostræ Dei genitricis. Et ego cum multa devotionis humilitate recepto palleo, exhibui fidelitatis obedientiam, præsentibus Episcopis qui scribunt sanctitati vestræ & Principe nostro & multis aliis in Ecclesia assistentibus. Et iterum, pater sancte, vestram rogo sanctitatem ut dispenses & adimpleas ordinem ecclesiasticum, & qualiter debeam regere ovile quod mihi est commissum à Deo & sanctitate vestra. Sanctum christina non habemus; immo à Græcis receperamus. Sed de cetero nos tamquam & vos, Græci exosos habent. Et scias, Domine mi, quoniam hæc omnia in sanctitate tua

\* Vos corrupta.

remanferunt, quod debeat in omnibus difpenfare. Et de fancto chrifmate nos doceat qualiter gentem baptizare debeamus, & ne remaneat gens abfque chrifmate fancto, & erit peccatum, fed in omnibus nos filios tuos perditos & pereuntes monéas; & mittas mihi, Pater bone, palla ad opus duorum Metropolitanorum Prifhlavae & Belefbudij; & quicquid aliud noverit veftta fanctitas quod fit ad opus mei pontificalis officij plenitudinem, mihi illud veftta dirigat fanctitas.

LXXIII. Cùm autem Epifcopus & Capellanus prædicti ad fedem apoftolicam perveniſſent, Dominus Papa eos benignè ſuſcepit, & ſuperpetitionibus ſapeſati Iohannitij per eundem Epifcopum præſentatis habito diligenti tractatu, conſtituit eum Regem Blacorum & Bulgarorum, mitterens ad eum Leonem tituli ſanctæ Crucis Prefbyterum Cardinalem apoftolicæ ſedis Legatum, & per ipſum ſceptrum regni ac regium diadema, ut eundem vice ſummi Pontificis ungeret & coronaret in Regem, tranſmiſſo apoftolico privilegio cuius tenor talis eſt.

Calojohanni illuſtri Bulgarorum & Blacorum Regi, ejuſque poſteris ei tam in regno quàm in devotione ſedis apoftolicæ ſucceſſuris in perpetuum. Rex Regum & dominus dominantium Ieſus Chriſtus, Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchifedech, cui dedit omnia pater in manu, pedibus ejus ſubiens univerſa, cujus eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & omnes habitantes in eo, immo cui ſelectitur omne genu caeleſtium, terreſtrium, & infernorum, ſummum apoftolicæ ſedis & Eccleſiæ Romanæ Pontificem, quem in beato Petro ſibi Vicarium ordinavit, ſuper gentes & regna conſtituit, evellendi, deſtruendi, diſperdendi, & diſſipandi, & ædificandi, & plantandi conferens poteſtatem, loquens ad eum in Propheta, qui fuit de Sacerdotibus Anatoth: *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas & diſperdas, & diſſipes & ædifices & plantes.* Ut autem id expreſſiùs demonſtraret, non per alium, ſed per ſeipſum, cùm pro hominibus carnem aſſumpſiſſet humanam, & calciamentum ſuum extendiſſet in Idumæam, ut ei allophyli ſubderentur, & oves ſuas quæ de hoc ovili non erant adduceret, & fieret unum ovile & unus paſtor, in ſe, qui eſt ſuper omnia Deus benediçtus in ſecula, univerſalis Eccleſiæ poſuit fundamentum, ejuſque Apoſtolorum principi Petro magiſterium contulit & primatum, dicens ad eum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & porta inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni calorum.* Vbi etiam conſequenter adjecit: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in calis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in calis.* Poſt paſſionem quoque ſuam, aſcendurus in cælum, ovile ſuum, videlicet Eccleſiam, ei committens & commendans in omnibus, dixit ei, *Paſce oves meas,* vocabulo tertio repetito; per hoc patenter ostendens quod ad ejus ovile non pertinent oves illæ quæ ſe commiſſas & ſubjectas eſſe beato Petro contumaciter denegarent & ejus noluerint eruditi doctrina & magiſterio ſubjacere. Siquidem Eccleſia eſt illa arca in qua paucæ animæ, pereuntibus ceteris in diluvio, ſunt ſalvata. Vnde ſicut omnes quos arca non cepit, in diluvio perierunt, ſic

Tom. I.

omnes qui extra Eccleſiam inventi fuerint, in iudicio damnabuntur. Arca enim Eccleſiam, cataclifmus iudicium, & paſtorem Eccleſiæ Petrum Noë rector arcæ figuravit. Ille cum Domino legitur ambulaviſſe; hic autem ſuper undas maris, quod hunc mundum ſignificat, ad Dominum ſcribitur perpenſiſſe. In quo etiam expreſſè notatur quod Petro non ſpecialiter aliqua ſpecialis Eccleſia, ſed totus mundus commiſſus fuerit & Eccleſia generalis. Nam ſicut aquæ multæ ſunt populi multi, ſic mare magnum & ſpacioſum mundum ſignificat univerſum. Vnde vocatis ceteris in partem ſolicitudinis, hunc aſſumpſit Dominus in plenitudinem poteſtatis, cùm inquit ad eum, *Tu vocaberis Cephas,* (quod Petrus interpretatur & caput) ut Petrum caput Eccleſiæ demonſtraret, qui ſicut unguentum quod à capite Aaron deſcendit in barbam, in membra \* diffunderet, ut nihil ſibi penitus deperiret: quoniam in capite viger ſenſuum plenitudo, ad membra verò pars eorum aliqua derivatur. Inſuper quærenti Petro ſi quotiens peccaret in eum frater ejus dimitteret ei ſque ſepies, Dominus legitur reſponſiſſe: *Non dico tibi uſque ſepies, ſed uſque ſeptuagies ſepies.* Sanè cùm omne tempus ſeptem dierum numero concludatur, multiplicatus in ſe ipſum ſeptenarius in hoc loco notat univerſa peccata univerſorum, cùm ſolus Petrus non ſolum omnia ſed & omnium poſſit crimina relaxare. Ipſi enim, & non alij, dictum à Domino reperitur, *Tu me ſequere,* id eſt, in veri paſtoris officio & poteſtatis eccleſiaſticae plenitudine imitare; quia eum in officio Vicarium ſibi ſubſtituit Dominus & in magiſterio ſucceſſorem, ſic hereditatem, in cuius præclaris funes ejus ceciderant, transferens in eundem ut aliis poſſit per eum & ſub eo quaſi partem facere de hereditate legata. Cùm igitur, licet immeriti, ejus vices geramus in terris qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud, utpote per quod Reges regnant & Principes dominantur, cùm Petro & ſucceſſoribus ſuis & nobis in eo noverimus eſſe dictum, *Ego pro te rogavi, Petro, ut non deſiciat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos,* cùm ex præcepto Domini oves ejus paſcere teneamus, populis Bulgarorum & Blacorum, qui multo jam tempore ab uberibus matris ſuæ alienati fuerunt, in ſpiritualibus & temporalibus paterna ſolicitudine providere volentes, ejus auctoritate conſili per quem Samuel David in regem inunxit, Regem te ſtatuiſſe ſuper eos, & per dilectum filium Leonem tituli ſanctæ Crucis Prefbyterum Cardinalem apoftolicæ ſedis Legatum, virum providum & honeſtum, nobis inter ceteros fratres noſtros acceptum, ſceptrum regni ac regium tibi mittimus diadema, ejus quaſi noſtris tibi manibus imponendum, recipiendo à te juratoriam cautionem quod nobis & ſucceſſoribus noſtris & Eccleſiæ Romanæ devotus & obediens permanebis, & cunctas terras & gentes tuo ſubjectas imperio in obedientia & devotione ſedis apoftolicæ conſervabis. Ad petitionem inſuper venerabilis fratris noſtri Blaſij Brandizuberentis Epifcopi, quem ad ſedem apoftolicam deſtinaviſti, publicam in regno tuo cuedi monetam tuo caractere inſignitam liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam fratri noſtro Archiepiſcopo Trinovitano in terris in

\* Cod. vrg. & Pod. deſcenderet;

e ij

quibus imperas universis privilegium concedimus primati, qui & successores ipsius tuos in posterum successores simili ab eis juramento recepto apostolica sedis auctoritate coronent, & in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique Metropolitanis tam in Bulgaria quam Blacia provinciis constituti subiaceant, & juxta formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant & honorem. Sic ergo, fili carissime, gratiam quam apostolica sedes mater tua tibi facit agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus quae tribuimus tibi, sic regnum tuum in apostolica sedis subjectione ac devotione confirmes ut cum sub beato Petro in illius petrae fuerit firmitate fundatum de qua inquit Apostolus, *Petra autem erat Christus*, nec pluviarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incurfus, tu quoque praeter auxilium apostolicae sedis, quod juxta devotionem tuam senties in praesenti, de temporali regno ad regnum pervenias sempiternum. Decernimus ergo ut nullus omnino &c. hoc privilegium nostrae constitutionis & confirmationis infringere vel ei &c. Si quis autem &c. Datum Anagninae per manum Iohannis sanctae Romanae Ecclesiae Subdiaconi & Notarii, sexto Kalendas Martij, Indictione septima, incarnationis dominicae anno M C C I I I. pontificatus vero Domini Innocentij Papae tertij anno septimo.

LXXIV. Misit etiam per eundem Legatum eidem Regi vexillum cum litteris habentibus hunc tenorem.

Vt in cruce Domini nostri Iesu Christi cum Apostolo gloriaris, & non tibi, sed ei cui flectitur omne genu, tuos de cetero triumphos adscribas, qui docet manus ad praedium & digitos movere ad bellum, & inter varios bellorum eventus ejus suffragio sentias te muniti cui Dominus claves regni caelorum & ligandi atque solvendi contulit potestatem, praeter regiae dignitatis insignia quae tibi per dilectum filium Leonem tituli sanctae Crucis Presbyterum Cardinalem apostolicae sedis Legatum, virum providum & honestum, tuae serenitati dirigitur, per eundem vexillum quo contra illos utaris qui honorant labiis crucifixum, cor autem eorum est longinquum ab ipso, ad petitionem venerabilis fratris nostri Brandizuberensis Episcopi tibi duximus destinandum. Praetendit autem non sine mysterio crucem & claves: quia beatus Petrus Apostolus & crucem in Christo sustinuit, & claves a Christo suscepit. Repraesentat itaque signum crucis, in quo Christus, utpote qui vincit, regnat, & imperat, debellavit aereas potestates & in quo capiens praeda praedonem absorbit, moriens vita mortem & Behemoth cepit in suis oculis quasi hamo. Clavem autem geminam repraesentat, discretionis alteram, reliquam potestatis; ut cum discreveris inter bonum & malum, lucem & tenebras, sanctum & profanum, commissum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, exerceas, & arma contra illos apprehendas & scutum qui non posuerunt Deum adiutorem sibi, sed in feritate sua & multitudine confidentes, nituntur contra stimulum calcitrare. Monemus igitur serenitatem regiam & hortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus eodem vexillo in humilitate cordis utaris, & inter acies bellicas memor domi-

nica passionis existas, ejusque magisterium recognoscas cui Dominus ipse dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni caelorum*. Sic enim inimici tui non solum contra te prevallere non poterunt, sed ante faciem tuam dante Domino non subsistent.

LXXV. Constituit etiam Trinovitano Archiepiscopum Primatem totius Bulgariae & Blaciae, misitque illi privilegium hujusmodi per dictum Legatum.

Archiepiscopo Trinovitano Bulgariae & Blacorum Primati ejusque successoribus canonicè substituendis in devotione sedis apostolicae successuris in perpetuum, Rex Regum &c. usque ad Samuel David in Regem inunxit, carissimum in Christo filium nostrum Calojohannem, haecenus ipsorum dominum, Regem statuumus super eos, per dilectum filium &c. usque devotione sedis apostolicae conservabit. Te quoque in regno Bulgariae & Blacorum Primatem statuumus, & Ecclesiae Trinovitanae praesenti privilegio auctoritatem concedimus primati, statuentes ut tu & successores tui, qui tibi in apostolica sedis devotione successerint, ceteros Metropolitanos Bulgariae & Blaciae praecellatis ratione primatiae, & ipsi tibi & eis juxta formam canonicam reverentiam Primati debitam exhibeant & honorem, fraternitatem tuam scire volentes quod apud nos haec duo nomina, Primas & Patriarcha, penè penitus idem sonant, cum Patriarchae & Primates teneant unam formam, licet eorum nomina sint diversa. Praesenti quoque privilegio tibi & per te tuis successoribus inungendi, benedicendi & coronandi Reges Bulgariae & Blacorum in posterum liberam concedimus facultatem. Obeunte vero te nunc Ecclesiae memoratae Primati, nullus ibi qualibet surreptionis alytia praeparatur nisi qui canonicè fuerit electus ad eam secundum consuetudinem approbatam. Electus autem per Metropolitanum & alios suffraganeos ejusdem Ecclesiae, qui poterunt interesse, in Episcopum solemniter ordinatur. Consecratus vero ad sedem apostolicam nuntios suos mittat, palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, peturos, in cuius susceptione juramentum illud nobis & successoribus nostris & Ecclesiae Romanae praestabit quod alij Primates & Metropolitanis secundum generalem consuetudinem nobis praestant, & tu ipse in susceptione pallei praestitisti; cuius formam bulla nostra signatam ad perpetuam memoriam destinamus, exprimentes in ea ut cum in Regem quemlibet ex praedicti Regis successoribus coronarint, praescriptum ab eo recipiant juramentum. Cum autem aliquis Metropolitanorum qui tibi jure subiacent primatiae viam fuerit universae carnis ingressus, confirmabis electionem canonicam de persona idonea celebratam, & personam electam in Episcopum consecrabis. Pro palleo vero nuntios tuos cum nuntijs Ecclesiae cui praesit ad apostolicam sedem mitte, nosque illud tibi per eos libenter & hilariter transmittemus, per te Metropolitanum Episcopum juxta formam quam sub bulla nostra recipies solemniter conferendum; ita quod si Legatum vel nuntium nostrum contigerit interesse, id cum eo pariter exequatis. Chirilina vero & oleum

catechumenorum & infirmorum singulis annis in Cœna Domini tam in Ecclesia Bulgaricâ quàm Blaciâ fieri secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ concedimus, ut quoties necesse fuerit, qui baptizandi fuerint baptizentur, & confirmantur per diocesanos Episcopos qui fuerint confirmandi, nec Episcoporum consecratio nec ordinatio Sacerdotum propter defectum huiusmodi vel impediatur penitus vel diutius differatur: quia licet hæcenus apud vos nec in sua ordinatione Presbyteri nec in consecratione sua Episcopi consueverint sacram recipere unctiōem, volumus tamen ut deinceps non tam ritum nostrum quàm mandatum divinum sequentes, per quod in lege præcipitur ut Pontifices & Sacerdotes ungantur, manus eorum qui ordinandi sunt in Presbyteros, & tam manus quàm caput eorum qui consecrandi sunt in Episcopos, solemniter inungantur. Præterea crucem, vexillum videlicet dominicæ passionis, ante te per totam Bulgariam & Blaciâ deferendi fraternitati tuæ licentiam impartimur.

LXXVI. Quia verò secundum consuetudinem Bulgarorum & Blacorum nec in ordinatione Presbyteri nec in consecratione Pontifices fuerant inuncti, fecit præfatum Brandizuberensem Episcopum per Iohannem Episcopum Albanensem, assistentibus ei duobus Episcopis, in præsentia sua Dominus Papa secundum morem Latinorum inungi, & mandavit ut tam Primas quàm Metropolitanus & universi Episcopi ac Presbyteri sacram reciperent unctiōem, ac de cetero nulli sine unctiōe ordinarentur Presbyteri aut consecrarentur Episcopi, assignans super his rationes in litteris memorato Primati directis: cui etiam insignia pontificalia universa per prædictum Legatum liberaliter destinavit, taliter ei scribens.

Cum venisset ad apostolicam sedem venerabilis frater noster Episcopus Brandizuberensis clara nobis insinuatione monstravit quod in consecratione sua sacram non \* receperat unctiōem, quoniam apud vos non consueverunt Pontifices, cum consecrantur, inungi. Nos ergo quod illi defuerat mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus & manus per venerabilem fratrem nostrum Iohannem Albanensem Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundum morem ecclesiasticum sacro chrisimate deliniti. Hoc enim catholica tenet Ecclesia, non solum ex præcepto divino, verum etiam Apostolorum exemplo. In Exodo quippe legitur præcepisse Dominus Moysi ut Aaron & filios ejus inungeret, quatenus ei sacerdotio fungerentur. Et Anacleus origine Græcus, qui à beato Petro fuit in Presbyterum ordinatus, & postea in apostolatus officio Clementi successit, tradit in ordinatione sua ungendos Episcopos more Apostolorum & Moysi: quia omnis sanctificatio in spiritu sancto consistit, cujus invisibilis virtus sancto chrisimate est permixta. Vnde scire te volumus duas esse species unctiōis, exteriorē, quæ materialis est & visibilis, & interiorē, quæ est spiritalis & invisibilis. Exteriorē visibiliter ungitur corpus, interiorē invisibiliter ungitur cor. De prima Iacobus Apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.* De secunda \* Iohannes Apostolus ait.

*Vos unctiōem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, & non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus vos docet de omnibus.* Unctio visibilis & exterior signum est interioris & invisibilis unctiōis; unctio verò invisibilis & interior non solummodo est signum, sed etiam sacramentum; quia si dignè sumatur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat. Ad exhibendam igitur exteriorē & visibilem unctiōem benedicitur oleum quod dicitur catechumenorum vel infirmorum, & conficitur chrisma, quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione. Per oleum enim nitore conscientie designatur, juxta quod legitur: *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus;* per balsamum autem exprimitur odor famæ; propter quod dicitur: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi.* Hoc igitur chrisimate ungi debet Episcopus non tam in corpore quàm in corde; ut & interiorē habeat nitorem conscientie quoad \* Deum, & exteriorē habeat odorem famæ quoad proximum. De nitore conscientie dicit Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ.* Nam omnis gloria filia Regis ab intus. De odore famæ idem Apostolus ait: *Christi bonus odor sumus in omni loco, & alius sumus odor vitæ in vitam, alius odor mortis in mortem.* Debet enim Episcopus bonum habere testimonium & ab his qui sunt intus & ab his qui sunt foris, ut cortina cortinam trahat, & qui audit dicat, Veni. Hoc unguento caput & manus Episcopi consecrantur. Per caput enim mens intelligitur, juxta illud: *Unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Per manus opera designantur, secundum illud: *Manus mea distillaverunt \* aurum.* Manus igitur ungitur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Caput autem inungitur \* balsamo caritatis, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota mente & ex tota anima, & proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, manus propter ministerium & officium. Caput inungitur, ut ostendatur illius representare personam de quo dicitur per Prophetam: *Sicut unguentum in capite ejus, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Caput enim viri Christus; caput Christi Deus est, qui de se dicit: *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Manus ungiuntur Episcopo, ut ostendatur accipere potestatem benedicens & consecrandi. Vnde cum eas consecrator inungit, *Consecrare, inquit, & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam sanctam unctiōem & nostram benedictionem, ut quacunque consecraverint consecrentur, & quacunque benedixerint benedicantur in nomine Domini.* Verum in veteri testamento non solum ungebatur sacerdos, sed & Rex & Propheta, sicut in libro Regum præcepit Dominus Helia: *Vade, & revertere in \* viam tuam per desertum in Damascus; cumque perveneris illuc, unges Hazaël Regem super Syriam, & Gen filium Namsi unges Regem super Israël, Heliæ autem filium Saphat, qui est de Abelmala, unges Prophetam pro te.* Sed ubi Iesus Nazarenus, quem unxit Deus spiritu sancto, sicut in actibus Apostolorum habetur, unctus est oleo præ confortibus suis, qui secundum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, Principis unctio à capite

e iij

Cap. Cum venisset, ext. de sac. vult.

\* In terra collecta acceptat.

Anacleus, epist. 1.

\* Tert. coll. 17. Iacobus

\* Cod. reg. cum.

\* Genic. 5. & in codicibus Colberino & Andegavensi legitur myrrinam, \* idem eod. oleo

\* Tertia collecta, domus

\* Cod. reg. principes ex tunc non unguatur

scilicet in brachium est translata, ut \* Princeps ex tunc non unguatur in capite, sed in brachio sive in humero vel in armo, in quibus principatus congruè designatur, juxta quod legitur: *Et factus est principatus super humerum ejus.* Ad quod etiam designandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos qui fuerant invitati. In capite verò Pontificis sacramentalis est delibatio conservata, quia personam capitis in pontificali officio repræsentat. \* Differt autem inter Pontificis & Principis unctionem, quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur, ut ostendatur quantitas differentia inter auctoritatem Pontificis & Principis potestatem. Quia verò Christus in sanguine suo fecit nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, propter quod Petrus Apostolus ait, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium,* idcirco in novo testamento non solum Sacerdotes & Reges unguuntur, sed omnes etiam Christiani bis, ante baptismum scilicet oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter scapulas, & bis post baptismum, scilicet chrismate facto, primum in vertice, deinde in fronte. In pectore namque ungitur baptizandus, ut per spiritus sancti donum abiciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia justus ex fide vivit. Inter scapulas autem baptizandus inungitur, ut per spiritus sancti \* gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est; & ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus fides per dilectionem secundum Apostolum operetur. In vertice verò baptizatus inungitur, ut sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem; quia per caput intelligitur mens, juxta quod legitur: *Oculi sapientis in capite ejus;* cujus superior pars est ratio, & inferior sensualitas. Vnde bene per verticem, qui est suprema pars capitis, intelligitur ratio, quæ superior pars est mentis. In fronte ungitur baptizatus, ut liberè confiteatur quod credit, quia corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. memor ejus quod Dominus ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Ante baptismum verò inungitur oleo benedicto, & post baptismum chrismate facto, quia christina soli competit Christiano. Christus enim à chrismate dicitur, vel potius à Christo dicitur christina, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem. A Christo enim Christiani dicuntur, tanquam uncti deriventur ab uncto, ut omnes currant in odorem unguentorum illius cujus nomen oleum est effusum. Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur confirmatio; quia per eam spiritus sanctus ad augmentum datur & robor. Vnde cum ceteras unctiones simplex Sacerdos, id est, Presbyter, valeat exhibere, hanc non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus, debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum Vicarij sunt Episcopi, quod per manus impositionem spirituum sanctum dabant, quemadmodum actuum Apostolorum lectio manifestat. *Cum audissent, inquit, Apostoli qui erant Hierosolymis quia receperisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum &*

\* Cod. reg. & Pod. & terr. col. lat. Refert

\* Cod. Colbr. & Andeg. donum

*Iohannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum; cujus adventus per unctionis mysterium designatur, quia columba in qua spiritus sanctus super Christum in baptismo descendit ad vesperam, in cataclismo revertens ramum retulit virentis olivæ. Cujus utique sacramentum David Propheta prænosens, exhilarandam faciem in oleo prædicavit. \* Unguntur præterea secundum ecclesiasticum morem cum consecratur altare, cum dedicatur templum, & cum benedicitur calix, non solum ex mandato legis divinæ, verum etiam exemplo beati Silvestri, qui cum consecratur altare, illud christinate perungebat. Præcepit enim dominus Moysi ut faceret oleum unctionis de quo ungeret \* tabernaculum testimonij & arcam testamenti mensamque cum vasis. De quibus etiam unctionibus si forsitan dubitaveris, cum à te fuerimus requisiti, fraternitatem tuam plenius instruemus. Veruntamen unctionis sacramentum aliud quidem efficit & figurat tam in novo quam in veteri testamento. Vnde non judaizat Ecclesia: cum unctionis celebrat sacramentum, sicut aliqui mentiuntur, qui neque scripturas neque Dei novere virtutes. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentius per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad mandatum dilecti filij nostri Leonis tituli sanctæ crucis Presbyteri Cardinalis apostolicæ sedis Legati tu quoque sacram \* suscipias unctionem, ne quid tibi desit ad plenitudinem sacramenti; ut cum sacro fueris chrismate delibutus, Archiepiscopos & Episcopos tuos similiter ungas, & per eos facias manus Sacerdotum inungi oleo benedicto, illum de cetero in ordinandis Presbyteris & consecrandis Episcopis morem servans & faciens observari quem apostolica sedes observat, quæ, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est & magistra. Mittimus autem tibi per Cardinalem prædictum pontificalia ornamenta, caligas & sandalia, amictum & albam, cingulum & succinctorium, orarium & manipulum, tunicam & dalmaticam, chirothecas & anulum, planetam & mitram. Palleum verò per dilectum filium Iohannem Capellanum nostrum antea miseramus. Et licet Romanus Pontifex non utatur baculo pastoralis, tum propter historiam, tum etiam propter mysticam rationem, (\* quod idem Cardinalis, sicut à nobis accepit, poterit edocere) tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum poteris eo uti.*

\* Tert. collect. Vngitur

\* Cod. Colbr. & Andeg. oilium tabernaculi &

\* Cod. reg. rici- pias

\* Tert. collect. quorum omnia rationem

LXXVII. Misit etiam per eundem Legatum duobus Archiepiscopis de novo creatis duo pallea assignanda illis secundum hanc formam.

Ad honorem Dei omnipotentis & beatæ Mariæ virginis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & Domini Papæ Innocentij & Romanæ Ecclesiæ necnon & Ecclesiæ tibi commissæ tradimus tibi palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, quo ad Missarum solemniam infra Ecclesias tibi subjectas utaris in nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcissione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in ramis palmarum, Cæna Domini, sabbatho sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione Domini, Pente-

coste, tribus festiuitatibus sanctæ Mariæ, natali beati Iohannis Baptistæ, solemnitatibus omnium sanctorum, commemoratione omnium Apostolorum, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus clericorum, Ecclesiæ tuæ principalibus festiuitatibus, anniversario consecrationis tuæ die.

Sanè solus Romanus Pontifex in Missarum solemnissimè palleo semper utitur & ubique; quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per palleum figuratur. Alij autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua iurisdictionem acceperunt, certis debent uti diebus; quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Præcepit etiam ut tam à Primatè quàm præfatis Archiepiscopis reciperet huiusmodi sacramentum.

Ego Archiepiscopus Trinovitanus Primas totius Bulgariæ & Blaciæ ab hac hora in antea ero fidelis & obediens beato Petro sanctæque Romanæ & apostolicæ sedi & Domino meo Innocentio eiusque catholicis successoribus. Non ero in factò vel consilio vel consensu ut perdant vitam aut membrum, vel capiantur aut spolientur. Consilium quod mihi crediderint, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Eorum certum malum si scivero, impedire studebo. Quòd si non potero impedire, eis quàm citò potero intimare curabo. Papatum Romanum, honores, dignitates & rationes apostolicæ sedis defendam pro posse, salvo ordine meo, contra omnem viventem. Vocatus ad synodum veniam, nisi prædicatione canonica fuerim impeditus. Apostolorum limina singulis quadriennijs per me vel per meum nuntium visitabo; nisi eorum absolvar licentia. Legatum apostolicæ sedis, quem pro certo scivero esse Legatum, devotè suscipiam & in suis necessitatibus adjuvabo. Cùm quemlibet de meis suffraganeis consecraverò, faciam illi iurare ut Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam & debitum honorem impendat. Ceterùm cùm aliquem coronaverò in Regem Bulgarorum & Blacorum iuxta indulgentiam mihi & successoribus meis ab apostolica sede concessam, ab eo iuratoriæ recipiam cautionem quòd ei qui tunc apostolicæ sedi præfuerit, successoribus eius, & Ecclesiæ Romanæ devotus & obediens permanebit, & cunctas terras & gentes suo subiectas imperio in obedientia & devotione sedis apostolicæ conservabit. Hæc omnia bona fide servabo. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta evangelia in præsentibus & in futuro.

LXVIII. Legatus ergo transitum faciens per Vngariam, tam à Rege quàm à Principibus ecclesiasticis & mundanis honorificè fuit & devotè susceptus. Sed cùm ad fines jam Vngariæ pervenisset, missis post eum nuntiis Rex fecit ejus transitum impediri. Super quo qualiter Dominus Papa processerit ipsius litteræ manifestant ad Regem Vngariæ destinatæ.

Inter alios, *inquit*, Reges catholicos & Principes Christianos de te specialiter, fili carissime, gloriamur quòd Deo fidelis nobisque devotus existas, ita ut tu merito valeas gloriari quòd gratiam & favorem apostolicæ sedis obtineas specialem; sicut hinc inde plurima probant, non solum iudicia, sed exempla. Rediens enim ad apostoli-

cam sedem Iohannes tunc Capellanus noster, nunc autem Furconensis Episcopus, constanti nobis assertione suggestit quòd à te cum ingenti honore & devotione susceptus clementer obtinuit, non solum quod circa negotium Culumbani à regia celsitudine requisivit, verùm etiam impetravit quòd tam ipsi quàm alijs Ecclesiæ Nuntius & Legatus liber pateat per regnum tuum progressus pariter & regressus in Bulgariam & Blaciam. Tu quoque, si bene recolimus, suggestisti quòd tuæ serenitati placebat ut Megajuppans Serviæ debitam & devotam apostolicæ sedi reverentiam & obedientiam exhiberet, & à nobis, salvo in temporalibus iure tuo, regium susciperet diadema. Unde nos hujus executionem negotij venerabili fratri nostro Colocensi Archiepiscopo meminimus injunxisse. Per has ergo non tam generales quàm speciales causas inducti filium nostrum Leonem tituli sanctæ crucis Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum in Bulgariam & Blaciam per regnum tuum ad propagationem fidei Christianæ duximus destinandum: qui, sicut nobis suis litteris intimavit, à tua regia celsitudine ultra etiam quàm crediderit exiit honoratus, ita ut quasi deposita gravitate regali, universa conaretur efficere quæ sibi crederes complacere; datò prius cum omni jocunditate ducatu nuntiis quos in Bulgariam duxerat destinandos. Datòque pacis osculo, & facta cum magno gaudio mutua promissione amicitie specialis, & muneribus elargitis, non solum licentiam obtinuit transeundi, verùm etiam tuis nuntiis præcepisti ut eum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens quòd tuum sibi scriptum in consilio destinaret, quod ipse apud se secretius retineret, & secundum illud ad reformationem pacis fideliter laboraret. Procedens ergo cum nuntiis tuis usque ad regni terminum, pervenit ad castrum quod vocatur Keve, ubi solo Danubio mediante regnum Vngariæ à Bulgarorum provincia separatur, multis eum cum desiderio expectantibus ex altera parte. Sed post unius moram diei nuntios ex insperato recepit, qui cum festinatione maxima venientes, sibi & Episcopo Bulgaro transitum fecerunt omnino præcludi, ex parte regia proponentes ut ad quoddam tuum præsidium retroiret quod itinere trium dierum reliquerat jam post tergum, ibique morans Domino Bulgarorum per nuntios mandaret quòd ad quandam insulam festinus accederet in consilio constitutam, ut ibi prius de controversia quæ vertitur inter vos plenè cognosceret & eam sine debito terminaret, \* alias ei transitus non pateret. Ipse verò Cardinalis inter multa respondit quòd hoc tali modo facere non debet, tum quia si eum cum huiusmodi pactionibus reciperet ad matris ubera redeuntem, cùm super hoc non tam seculare quàm spirituale negotium ageretur, videretur intervenire species simoniæ pravitatis; tum quia non posset eum compellere ad aliquid faciendum donec obligatus esset apostolicæ sedi per vinculum spirituale. Unde cùm nollet ab incepto itinere retroire, protinus exiit edictum à Comite castri quòd quicumque sibi & suis aut etiam Episcopo memorato auderet aliquid vendere seu aliquid humanitatis solatium exhibere, pœnam incurerent personarum & rerum. Et ipse Cardinalis cum Episcopo sæpe dicto

\* Cod. Pod. aliter



à trecentis ad minus circumfusis satellitibus custoditur, qui adeo ipsum comprimunt quod ostium camerae, si camera dici debet, observant; ut taceamus ea quae sibi & suis circa necessaria naturae viliter irrogantur. Heu heu! fili carissime, ubi est regia clementia, ubi religio Christiana, ubi specialis devotio quam ad nos & Romanam Ecclesiam praedicaris habere? Mutatus est color optimus, & aurum in fcoriam est conversum. Pareat igitur eis Deus, qui animum tuum pravo consilio seduxerunt, volentibus inter regnum & sacerdotium discordiam seminare. Sed nos pro certo speramus quod aut per te ipsum jam errata cortexeris, aut ad monitionem nostram taliter debeas emendare ut injuria transeat in honorem & offensa in gratiam revertatur. Quocirca serenitatem regiam, de qua plane confidimus, rogamus attentius & monemus, in remissionem tibi peccatorum injungentes, quatenus injuriam Cardinali praedicto, immo verius nobis in ipso, quin potius illatam Domino Iesu Christo in nobis, ita satagas abolere ut nos in hoc devotionem tuam experiri possimus, & non cogamur propter hoc aliquid agere quod tibi possit esse molestum; quia quantumcumque nobis molestum existeret te in aliquo molestate, non possemus tam perversum exemplum relinquere incorrectum, & propositum nostrum auctore Domino nihilominus exequemur. Mitius etiam ac benignius tibi scribimus quam instans materia postularer, ne quis forte litteras nostras inspiciens aestimaret apostolicae sedis favorem tibi esse subtractum, quod utilitati utique ac honori tuo nullatenus expediret; quia multa gesta sunt & geruntur in regno tuo, quae si deducerentur ad limam, correctionem exposcerent graviores; non solum de voto tuo, captione fraterna, & electionibus Praelatorum, sed etiam multis aliis, quae, ne nimium conturberis, ad praesens duximus suppressenda. Provideas ergo tibi, ne in eam te difficultatem inducas de qua non facile valeas expediri.

LXXIX. Ipse vero Rex quendam militem cum litteris excusatoriis ad Dominum Papam direxit, per quem ei Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Regiae celsitudinis litteras quas nobis per dilectum filium nobilem virum E. militem destinasti benignè recepimus, & quae significasti per eas notavimus diligenter. Ad primum ergo capitulum respondemus quod utique pia recordationis progenitores tui, ex quo regnum Vngariae ad catholicae fidei unitatem per beati Stephani Regis diligentiam divina gratia praecedente pervenit, cum multa devotione sedem sunt apostolicam venerati, & omnes qui ex ejus progenie descenderunt, sicuti in regno, ita sibi in reverentia beati Petri successoribus exhibenda pariter successerunt; praesertim in clytae recordationis Bela Rex pater tuus, qui toto tempore vitae suae sedem apostolicam studuit honorare; cui tu tam in regno quam in devotione succedens, ea facere studuisti quae ad ipsius procederent commodum & honorem. Porro sicut nos ea quae dicta sunt absque dubio recognoscimus esse vera, ita tu ea quae sunt dicenda vera esse proculdubio recognoscas. Licet enim praedecessores nostri progenitores tuos inter alios Reges catholicos diligere ac honorare studuerint quadam gratia spe-

ciali, satagentes illis secundum Deum in omni necessitate favere, specialiter tamen clarae memoriae patrem tuum apostolica sedes toto conamine promovere curavit, ita quod cum propter quaedam causas, sicut credimus, tibi notas regalem non posset obtinere coronam, felix recordationis Alexander Papa praedecessor noster post multas exhortationes, praecipiones, & commonitiones Strigoniensi Archiepiscopo factas ut ei regium diadema conferret, cum ipse non posset ad hoc aliquatenus inclinari, tandem Colocensi Archiepiscopo districtè praecipit ut ipse illum absque praedicio Strigoniensis Ecclesiae coronaret in Regem; & sic ad mandatum apostolicae sedis obtinuit coronari. Quantum etiam circa principium regni, quod utique propter dissensiones multorum non leviter extitit perturbatum, apostolica sedes tibi curaverit subvenire, ipse rerum ostendit effectus, quae tandem per Legatum suum adhuc specialiter destinatum te ac tuos ex una parte, necnon & fratrem tuum ac fautores ejus ex altera, reduxit ad pacem; quae licet reformata fuerit & firmata, utinam tamen melius observata fuisset. Ad secundum vero capitulum respondemus hoc modo, quod revera tu nuntiis nostris in terra Iohannitij Domini Bulgarorum & ipsius nuntiis ad Ecclesiam Romanam ire volentibus per terram tuam securum conductum & liberum transitum concessisti, dimittebat exercitum ad preces Legati nostri quem congregaveras contra ipsum, sumptibus frustra consumptis; super quibus serenitati tuae gratiarum referimus actiones. Quod autem scripsisti quoniam praefatus Iohannitius terram quam pater tuus forori tuae Imperatrici Graecorum dedit in dotem, detinet occupatam, & terram Serviae, tuae coronae subiectam, adjuncta sibi paganorum multitudine copiosa crudeliter devastavit, ita quod praeter eos qui per ejus tyrannidem sunt perempti, non pauci Christiani sunt in paganorum captivitatem deducti, eo videlicet tempore quo precibus nostris inductus, Rege Bohemiae à Philippo consortio separato & Regi Othoni conjuncto, cum ipso pro isto validum contra illum exercitum destinasti, certissime noveris nobis esse valde molestum quicquid in tuam injuriam & jacturam noscitur attentatum, & ut tibi congruè satisfiat nos diligens studium impensuros & operam efficacem. Ad tertium vero capitulum respondemus taliter, quoniam etsi scripseris quod praefatus Iohannitius nullius terrae de jure sit dominus, licet aliquam partem tui & aliam regni alterius ad tempus detineat occupatam, unde miraris quod tam manifestum inimicium tuum te inconsculto tam subito in Regem proposuerimus coronare, secus est tamen ex aliqua parte, ut salva tui pace loquamur, cum super hoc non plenè noveris veritatem. Nam antiquitus multi Reges in Bulgaria successivè fuerunt auctoritate apostolica coronati, sicut Petrus & Samuel, & alij nonnulli post eos. Nam ad praedicationem sapientiae memoriae Nicolai praedecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad quorum consulta sapissime respondebat, cum toto regno sibi commissio meruit baptizari; sed tandem praevaleantibus Graecis, Bulgari perdidit regiam dignitatem; quin immo compulsi sunt gravi sub jugo Imperatori Constantinopolitano servire, donec novissimè duo fratres, Petrus videlicet & Iohannitius, de priorum Regum prosapia descendentes, terram patrum

patrum suorum non tam occupare quam recuperare ceperunt, ita quod una die de magnis Principibus & innumeris populis mirabilem sunt victoriam consecuti. Non ergo negamus quin forsitan aliquam partem terræ violenter invaserint, sed constanter asserimus quod plurimam terræ partem de jure recuperavere paterno. Vnde nos eum non super alienam sed super propriam terram ad instar prædecessorum nostrorum Regem intendimus coronare, volentes ut & ipse terram restituat injustè detentam, & terra injustè retenta restituatur eidem; cum ipse postulaverit hoc à nobis, ut de terris invasis faciamus inter te & ipsum utrique parti justitiam exhiberi. Cum igitur nuntiis nostris ad eum & nuntiis ejus ad nos non solum liberum concesseris transitum, verum etiam securum ducatum, non debuimus opinari quod ipse tibi esset infestissimus inimicus; \* sed per nostræ sollicitudinis studium inimicitiarum occasione sublata, de inimicis fieri valeatis amici. Nec repente processimus ad hoc negotium consummandum, cum frequenter ad eum nuntios cum litteris nostris propter hoc curaverimus destinare, ut filium revocarem ad matrem & membrum reduceremus ad caput; quatenus esset unum ovile & unus pastor. Verum & illud non ab te potuissimus attendere in hoc casu, quod cum nobilis vir Stephanus Megajuppianus Sarviæ per venerabiles nuntios nobis humiliter supplicaverit ut in terram suam dirigeremus Legatum, qui eam ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reduceret & regium sibi diadema conferret, nosque petitionem ipsius de communi fratrum nostrorum consilio decreverimus admittendam; hujus legationis officium venerabili fratri nostro Iohanni Albanensi Episcopo injungentes, intellecto tandem quod hoc tuæ \* sublimitati plurimum displiceret, ob tui gratiam non sine quadam nostra confusione desistimus ab incepto. Tu vero postquam expugnasti Sarviam amoto Stephano, & Vulco substituto in locum ipsius, per tuos nuntios intimasti quod terram illam ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducere cupebas, & salvo in temporalibus jure tuo, æquanimiter sustinebas ut dictus Vulcus regem susciperet ab apostolica sede coronam. Vnde nos hujus executionem negotij de consilio nuntiorum tuorum venerabili fratri nostro Colocensi Archiepiscopo duximus committendam. Sed cum jam biennium sit transactum, in nullo novimus esse processum. Ad quartum verò capitulum respondemus hoc modo, quod licet dilectum filium Leonem tituli sanctæ crucis Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum devotè receperis & honoraveris studiosè, ita quod eum in osculo pacis benignè dimissum fecisti usque ad regni fines honestè conduci, ut jam non superesset nisi Danubij transitus de Vngaria in Bulgariam, quia tamen juxta verbum poeticum, *Turpius eicitur quam non admittitur hospes*, miramur non modicum & movemur, magis quidem pro te quam pro nobis, quod mox eum retroducere præcepisti, cum minus indecens extitisset si non admisisses eum quam admissum non speres proficisci. Rationibus ergo quas ad hoc in tuis litteris expressisti sufficeret illud Salomonicum respondere, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, nisi respondere nos oporteret ad illud quod per litteras tuas suppliciter postulasti, ut vel à proposito coronationis illius de-

Tom. I.

sisteremus omnino, vel saltem tamdiu cessarem donec discordia inter vos judicio posset vel arbitrio Legati nostri pacari. Reddimus ergo paucissimas de plurimis rationes, ne nimis expressa responsio te nimium conturbaret. Cum enim Cardinalis prædictus in regno tuo longam fecerit moram, & tam à te quam ab aliis non solum honestè receptus, sed & magnificè fuerit honoratus, profectò non posset mediator esse communis ad concordiam reformandam, aut judex æqualis ad controversiam dirimendam, nisi pari modo in terra sua reciperetur ab illo, ut omnis suspicio tolleretur. Præterea non posset illum compellere ad faciendam concordiam vel justitiam exhibendam antequam jugum susciperet apostolicæ disciplinæ nostroque se subiceret magisterio & præcepto. Ad hæc, cum idem Legatus procedat ad propagandum Christianæ fidei sacramentum & promovendum apostolicæ sedis honorem, si forsitan impedires eundem, profectò divinam indignationem incurreres, & nostram mereris offensam, illumque tibi redderes amplius inimicum, nihilque proficeres; quia nos modo alio possemus nostræ voluntatis propositum adimplere. Attende nihilominus diligenter quale denique reputares si nos impedire vellemus ne filius tuus carnalis coronari posset in Regem, & tale nos reputare cognosce si tu impedire coneris ne filius noster spiritualis in Regem valeat coronari, filius inquam prodigus, qui olim cum meretricibus vivendo luxuriosè, substantiam dissipavit, sed tandem in seipsum reversus, ad patrem revertitur: qui occurrens amplectitur & osculatur filium revertentem, præcipiens servis suis ut eum induant stolam primam & dent anulum in manu ejus & calciamenta in pedibus ejus, occidantque vitulum saginatum, ut manducent & epulentur; quia filius ejus mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus est. Qualiter autem pater indignationem sedaverit filij senioris, parabola te doceat evangelica, ejus doctrinam te cupimus & in hoc & in aliis imitari. Quod si forsitan verearis ne postquam coronam acceperit, insolentior fiat subito sublimatus, scire te decet pro certo quod non tantum ex procurata fraude proficeret quantum deficeret ex fide mentita; nosque minus dicimus tibi, ut tu intelligas per te magis. Ad quintum verò capitulum respondemus, quoniam etsi scripseris quod de his qui sedis apostolicæ sententiam contemnentibus, tibi sub securitate contra fraudem inimicorum nil providenti Iaderam destruxerunt, elapso jam biennio nihil ferè adhuc justitiæ super tam irrecuperabili damno per Romanam Ecclesiam consequi potuisti, unde si permitteres præfatum Iohannitium coronari antequam inter te & ipsum discordia sopiretur, nunquam amplius per Romanam Ecclesiam tibi posset justitia exhiberi; nolumus te, fili carissime, ignorare quod tam stolium Venetorum quam Francorum exercitum propter destructionem Iaderæ anathematis vinculo curavimus innodare, cumque majores exercitus Gallicani absolutionis beneficium postularent, non prius potuerunt absolvi quam juraverint nostris stare mandatis & obligaverint non solum seipfos sed suos etiam successores per litteras authenticas & patentes quod ad mandatum nostrum super illo excessu satisfacere procurabunt. Quia verò Dux Venetorum & sui nondum absolu-

f

\*Cod. reg. & Pod.  
licet\*Cod. Pod. fecerunt  
tati

tionis gratiam postularunt, nos in tantam jam processimus contra eos quod dilectum filium suum Patriarcham electum nolimus consecrare; immo cum ad nos personaliter accessisset, remisimus eum non sine multo pudore confusum. Significavimus quoque tibi ut apud Iaderam, quæ hæcenus cum tota provincia sua subiecta fuit Patriarchæ Gradeni, faceres electionem canonicam de persona idonea celebrari, & electum ad nos consecrandum & palleanum dirigeres, ut sic inciperemus punire superbiam Venetorum. Pari modo præfatus Iohannitus puniretur, si post susceptionem coronæ noller super discordia inter vos arbitrio vel iudicio Legati nostri parere, fierentque novissima sua deteriora prioribus & error novissimus pejor priore. Quia verò quantumcunque sæpeditum Iohannitium diligamus, te tamen diligimus incomparabiliter magis, modum, sicut credimus, invenimus congruentem per quem honori & juri tuo debeat provideri, sicut per litteras quas super hoc modo dirigimus advertere poteris evidenter. Quocirca serenitatem tuam rogamus attentius & monemus quatenus Deo dans gloriam & nobis honorem, non impediās propagationem fidei Christianæ nec dilatationem apostolicæ sedis, experieris absque dubio fructuosum.

LXXX. Ex illo autem verbo quod in præmissis continetur, *Quale denique reputares si nos impedire vellemus ne filius tuus carnalis coronari possit in Regem*, Rex ipse valde territus fuit: quia cum fecisset curiam congregari solemnem ut filium suum parvulum in Regem faceret coronari, timuit vehementer ne coronationem ejus Dominus Papa faceret impediri. Vnde cum præfatus Cardinalis ad curiam illam nuntios destinasset, tunc demum obtinuerunt à Rege licentiam transeundi. Profectus ergo Legatus universa, sicut fuerant constituta, complevit; & rediens tales ex parte Regis & Primatis Bulgarorum & Blacorum litteras reportavit.

A Calojohanne Rege totius Bulgariæ & Blaciæ ad Deo promotum & sanctissimum & in Christo dilectum & honorificentissimum patrem regni nostri tertium Innocentium & sacerrimum Papam Romæ, & successorem principis Apostolorum Apostoli Petri. Legatus apostolicæ sedis Dominus Leo sanctitatis tuæ scriptum meo obtulit imperio; addiscentisque de ejus sanctitate & incolumitate, omnipotenti Deo & sanctissimæ matri suæ glorificavimus. Et utinam quod scriptum imperij mei inveniat sanctitatem tuam viventem & degentem cum omni gaudio & hilaritate! Et imperium meum per gratiam omnipotentis Dei & beatissimæ Dei genitricis & per intercessionem sanctitatis vestræ sanum est & multum bene cum omni gaudio & exultatione. Hoc autem notum sit sanctitati vestræ, patri spirituali regni mei, Domino Papæ, quod Dominus Leo Legatus apostolicæ sedis venit ad imperium meum, sibi afferens coronam, & eam benedicens super caput imperij mei imposuit, & in manibus meis dedit mihi sceptrum atque vexillum, & benedixit sanctissimo Patriarchæ regni mei & totius Bulgariæ ex præcepto vestræ sanctitatis. Et valde Deo & beatissimæ Dei genitricis necnon & circumspectioni sanctitatis vestræ glorificavimus, eò quod secundum petitionem imperij mei sanctitas vestra totum suum velle adimplevit, & universa Bulgaria atque Blacia & omnis

imperij mei pertinentia valde glorificavit, & vestram sanctitatem magnificavit. Scribo autem vobis & de Vngaro, quoniam imperium meum non habet aliquam societatem regionum vel aliquam rem cum eo, neque ei nocet; immo ipse parvipendit, & nocet regionibus imperij mei. Et Dominus Leo Cardinalis vidit, & vestræ sanctitati annuntiabit justum vel injustum quod est ab imperio meo, aut si ego parvipendo Vngarum, vel si ipse meum imperium parvipendit. Et scribat ei sanctitas vestra quatenus distet à regno meo, quoniam imperium meum nec eum habet parvipendere nec contra terras ejus abire. Si verò ipse venerit contra terras imperij mei, & Deus adjuverit ut vincatur, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sim liber. De Latinis quoque qui Constantinopolim introierunt, scribo sanctitati vestræ ut eis scribatis quod distent ab imperio meo, & sicut imperium meum nullum malum eis facit, neque ipsi nos parvipendant. Si fortè ipsi conati fuerint contra imperium meum, & parvipenderint eum, & occidatur ex eis, non habeat sanctitas vestra imperium meum suspectum, sed sint universa libera. Misi autem ad tuam magnam sanctitatem pueros duos. Vnus nominatur Basilius, alius Berhelem. Et detur ex præcepto ejus ut addiscant in scholis litteras Latinas, quoniam hic grammaticos non habemus qui possint litteras quas mittitis nobis tranferre; & postquam addidicerint, remittentur ad imperium meum. Misi autem ad præsens in signum parvæ recordationis examita duo, episcopa dupla, unum est rubrum, & aliud album, & camelum unum. Cum verò mittam Legatos ad sanctitatem vestram, semper vestræ sanctitatis recordabor.

LXXXI. Multas inclinationes & multas sanitates à me Basilio humili Bulgarorum & Blacorum Primate erga patrem universorum & dominum & patrem meum magnificentissimum & sanctissimum Papam Innocentium. Oramus omnipotentem Deum & sanctissimam Dei genitricem & beatissimos Apostolos Petrum & Paulum ut cum sanitate & sospitate inveniat vos scriptum meæ humilitatis, & per nostri Domini magnificentiam vivo & ego per Dei gratiam magnis involutus delictis. Notum sit ergo vestræ magnæ sanctitati quod Leo Cardinalis & sanus & sospes pervenit delegatus à sanctitate vestra & apostolica sede, & usque ad nostram magnam civitatem Trinovæ tendit quintadecima die mensis \* Septembris, & portavit universalem plenitudinem patriarchalis dignitatis & paramenta omnia quæ mihi à vestra magna sanctitate fuerunt delegata. Tradidit similiter & anulum & privilegium & scripta & instructiones. Ex præcepto vestræ sanctitatis unxit me chrismate, mihi benedicens, & consecravit me in Patriarcham mensis Novembris septimo die, in festivitate scilicet sancti Apostoli Iacobi fratris Domini. Et ego illa die duos unxi Metropolitanos & ceteros Episcopos magno cum gaudio, & duobus de Metropolitanis benedixit Cardinalis, & tradidit eis palleum atque mitras, & reliquis in caput eorum mitras imposuit. Octavo verò die ejusdem mensis, in festivitate videlicet sancti Michaëlis, coronavit & benedixit Imperatori Calojohanni Domino omnium Bulgarorum atque Blacorum, & superposuit capiti suo regiam coronam,

\* Cod. 115.  
Octobris

& sceptrum suis manibus imponens omnia hæc complevit & perfecit secundum sanctitatis vestræ velles; & benedicens nobis segregatus est à nobis mensis Novembris die quindécima. Interea sciat vestra magna sanctitas quod duos pueros ex præcepto Domini Imperatoris vobis mitto ( Vnus est Presbyteri Constantini filius, alius verò Regis ) ut ex præcepto vestræ sanctitatis litteras Latinas addiscant. Et quicquid meditari valeatis ad honorem Imperatoris faciatis. Manuteneat enim Deus vestram sanctitatem per multa & longæva tempora.

LXXXII. Alexius autem filius Isachij quondam Constantinopolitani Imperatoris de carcere fugiens venit ad summum Pontificem, gravem de patre suo Alexio Constantinopolitano Imperatore querelam deponens, quòd videlicet patrem suum Imperatorem Isachium, quem sicut fratrem & dominum debuerat honorare, crudeliter excœcaverat, & invadens violenter imperium, tam illum quam ipsum Alexium ejus filium incarceraverat ferreis vinculis compeditum, postulans de eo justitiam exerceri. Contra quem idem Imperator nuntios & litteras suas summo Pontifici destinavit, quarum tenor in ipsius responsivis litteris apostolicis explicatur, & ad alia super quibus idem Imperator ei rescripserat responderetur.

Lib. 5. epist. 122.

Litteras & nuntios imperatoris dignitatis ea qua decuit benigneitate recepimus, & tam ea quæ iidem nuntij proponere voluerunt quam quæ in litteris continebantur eidem intelleximus diligenter. Proposuerunt siquidem nobis dicti nuntij tui, & id etiam tuæ litteræ continebant, quòd cum Christianorum exercitus qui venturus est in subsidium terræ sanctæ proposuerit tuæ magnitudinis terram invadere & contra Christianos arma movere, nostro conveniebat officio ut eos à tali deberemus proposito revocare; ne fortè manus suas de Christianorum nece scedantes, & Dei exinde offensam incurrerent, ac inimicos Christi, debilitati non modicum, non possent aliquatenus impugnare. Ex parte insuper tuæ celsitudinis adjecturatum quòd Alexio filio Isachij quondam Imperatoris, qui ad Philippum Sueviæ Ducem accessit ut imperium contra te ipsius possit auxilio obtinere, favorem nullatenus præstaremus, quia imperium non debet ad eum aliqua ratione devolvi, cum illud non per successionem sed per electionem nobilium conferatur; nisi fortè genitus esset post adeptum fastigium imperatoris dignitatis; quod utique idem Alexius non poterat allegare, cum prius quam pater ejus esset in Imperatorem promotus natus fuerit, & quia pater ejus tunc privata erat persona, in imperio non poterat sibi jus aliquod vindicare. Nos autem imperiali prudentiæ taliter duximus respondendum, quòd prædictus Alexius olim ad præsentiam nostram accedens, gravem in nostra & fratrum nostrorum præsentia, multis nobilium Romanorum adstantibus, proposuit questionem, asserens quòd patrem ejus injustè ceperis & feceris etiam nequiter excœcari, eos diu detinens carcerali custodiae mancipatos, quia ad superiorem nobis non poterat habere recursum, & nos, juxta Apostolum, eramus tam sapientibus quam insipientibus debitores, ei justitiam facere tenebamur. Cumque nos eidem dedissemus responsum juxta quod

Tom. I.

vidimus expedire, recessit à nobis, & ad prædictum Philippum fororium suum concitus properavit: cum quo deliberato consilio sic effecit quòd idem Philippus nuntios suos ad Principes exercitus Christiani sine qualibet dilatione transmisit, rogans eos & petens ut quia pater suus & ipse fuerant jure suo & imperio nequiter spoliati, cum eo Constantinopolitanum deberent regnum intrare, ac ad illud recuperandum eidem præstarent consilium & favorem, promittens eisdem quòd tam in subsidium terræ sanctæ quam in expensis & donativis eis magnificè responderet, paratus etiam in omnibus & per omnia nostris stare mandatis, & quòd sacrosanctam Romanam Ecclesiam vellet juxta posse suum modis omnibus honorare ac ea efficere quæ nostræ forent placita voluntati. Ceterùm dicti Principes deliberato consilio responderunt quòd cum in tam arduo negotio sine mandato & auctoritate nostra non possent procedere nec deberent, nos volebant consulere super his ac exinde præstolari nostræ beneplacitum voluntatis, inducentes dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, qui tum transfretare debebat, ut ad præsentiam nostram rediret, & super prædictis omnibus nostram inquireret voluntatem. Verùm idem Cardinalis ad præsentiam nostram accedens, omnia nobis curavit proponere diligenter; & cum nuntij vestri ad nostram accesserint præsentiam, super his cum fratribus nostris habebimus tractatum, & illud statuimus quod poterit tibi meritò complacere: quamquam plures assererent quòd ad hujusmodi postulationem benignius deberemus præstare favorem, pro eo quòd Græcorum Ecclesia sit apostolicæ sedis minus obediens & devota.

LXXXIII. Cùm de subventionem Hierosolymitanæ provinciæ tam in Italia quam in Gallia ingens fieret apparatus, Comites Galliarum cruce signati miserunt nuntios suos in Italiam ad Ducem & populum Venetorum, ut ab eis sibi conducebant navigia opportuna. Tractatum est etiam inter eos de societate pariter ineunda. Et postquam sub certis pactionibus convenerunt, communiter est provisum ut aliquot in Syriam destinatis, ceteri tenderent in Ægyptum, ut caperent Alexandriam & finitimas regiones, sicque terra sancta liberaretur facilius de manibus paganorum. Vbi ergo Franci & Veneti societatem hujusmodi firmaverunt, utrique simul ad sedem apostolicam nuntios destinarunt, petentes ut summus Pontifex pactiones hujusmodi inter se factas pro subsidio terræ sanctæ auctoritate apostolica confirmaret. Ipse verò, quòd futurorum esset præfagiens, cautè respondit quòd conventiones illas ita duceret confirmandas, ut videlicet ipsi Christianos non læderent, nisi forsitan iter eorum illi nequiter impedirent, aut alia causa justa vel necessaria forsitan occurreret propter quam aliud agere non possent, apostolicæ sedis Legati consilio accedente. Veneti autem confirmationem sub hoc tenore recipere noluerunt. Vnde pro certo conicitur qualis fuerit eorum intentio per effectum operis postea declarata. Contigit interim quòd Theobaldus Comes Trecentis, qui se ad iter peregrinationis magnificè præparaverat, debitum carnis exsolvit. Vnde ceteri Comites & Barones cum consilio Regis Franciæ vocaverunt Bonifacium

Vide infra cap. 93.

f ij

Marchionem Montisferrati, & cum sic ducem Christiani exercitus praefecerunt, tradita ex majori parte pecunia quam pro subsidio terrae sanctae Comes memoratus congregaverat. Ipse vero de Francia per Alamanniam transitum fecit; ubi cum Philippo Duce Sueviae, qui se Regem gerebat, dicebatur habuisse tractatum ut Alexium Iororium suum, filium videlicet Isachij quondam Constantinopolitani Imperatoris, cujus sororem ipse Philippus duxerat in uxorem, ad se de captivitate ergastulo fugientem reduci faceret Constantinopolim ab exercitu Christiano ad obtinendum imperium Romaniae. De quo, cum idem Marchio ad summum Pontificem accessisset, cepit agere à remotis; sed cum intellexisset ipsius animum ad hoc non esse directum, expeditis negotiis ad crucis officium pertinentibus ad propria remeavit.

LXXXIV. Quam verò diligens & sollicitus, studiosus & promptus exiterit ad subveniendum necessitatibus terrae sanctae, ut ad recuperationem ipsius Christianum exercitum inflammaret, ex literis quas super hoc negotio destinabat colligitur evidenter: de quibus, cum multae sint & diversae, hanc unam credidi praesenti paginae inferendam.

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis in regno Franciae constitutis. Verendum est nobis & vobis, immo etiam omnibus in sortem Domini evocatis, ne viri Ninivae nobiscum & cum Clericis nostris surgant in iudicio, & vos damnent, quia poenitentiam egerunt ad praedicationem Ionae, vos autem non solum non scidistis haecenus corda vestra, sed nec manus vestras ad mandatum nostrum saepius repetitum voluistis haecenus aperire, ut subveniretis pauperi Iesu Christo ad relevandum opprobrium quo ei à fidei nostrae hostibus jugiter exprobratur. Ecce etenim rursus in cruce sua crucifigitur crucifixus, rursus alapis caeditur, rursus etiam flagellatur; rursus cadunt opprobria exprobrantium super eum, dicentibus inimicis: *Si filius Dei es, salvum facias te metipsum.* Si quidem potes, libera terram natiuitatis tuae de manibus nostris, & crucis cultoribus restitue crucem tuam. Vos autem, quod pro majori parte dicimus & dolemus, poscenti & resposcenti saepius nec poculum aquae frigidae ministrastis; ita ut contra vos jam à laicis, quos interdum ad crucis obsequium verbis non operibus inuitatis, illud evangelicum assumatur: *Alligant onera gravia humeris subditorum, quae movere digito etiam nolunt ipsi.* Tam improprie vobis à laicis quòd de patrimonio Iesu Christi libentius histrionibus subvenitis quam Christo, plura in canibus & avibus pascendis consumitis quam velitis in ejus subsidium erogare, facti prodigi aliis, ipsi parci, vel, ut verius dicamus, avari. Ecce quomodo tribuistis ei pro omnibus quae retribuit ipse vobis? Ecce quomodo amatis eum? Ecce qualiter multiplicibus ejus beneficiis respondetis, sic evidentius ostendentes qualiter animas pro ovibus poneretis, qui nec etiam quadragesimam partem reddituum vestrorum pro ipso, immo ipsi haecenus impendere noluistis, cum plures vestrum non solum quadragesimam juxta mandati nostri tenorem, sed tricesimam juxta mandati nostri factam in Divionensi Concilio in tam pium opus convertere tenerentur. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & per

apostolica vobis scripta mandamus, & ex parte Dei omnipotentis in virtute spiritus sancti sub interminatione divini iudicii districte praecipimus quatenus juxta priorum nostrorum litterarum tenorem vos & universi clerici jurisdictioni vestrae subiecti saltim quadragesimam partem omnium ecclesiasticorum reddituum & proventuum vestrorum, prius tamen deductis usuris quarum solutio vitati non possit, in terrae sanctae subsidium convertatis, facientes vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, quadragesimam ipsam per vestras dioceses instanter exactam & collectam fideliter in tuto loco deponi; de qua singuli vestrum, fratres Archiepiscopi & Episcopi, assumptis secum duobus fratribus, uno Hierosolymitani hospitalis, & alio militiae Templi, de consilio nobilium virorum Matthaei de Mallo Canonici de Bethunia & Milonis de Bremont ac Galteri de Guidonisvilla, & aliorum discretorum virorum, militibus vel aliis bellatoribus qui signum dominicae crucis assumpserint, si in suis non potuerint sumptibus transfretare, congrua de eadem summa stipendia subministrant, sufficienti ab eis cautione recepta quòd in defensionem terrae orientalis per annum vel amplius juxta quantitatem subsidij commorentur, & si decesserint, quod absit, in via suscepta, subsidium non in alios usus convertant, sed restituant potius in stipendia bellatorum; qui etiam cum redierint, non prius absolvantur à praestita cautione quam litteras Regis vel Patriarchae, vel Magistri hospitalis, vel militiae Templi, vel etiam Legati nostri vobis exhibeant de mora ipsorum testimonium perhibentes. Ut autem mandatum apostolicum facilius & melius compleatur, per singulas provincias in metropolitana Ecclesia, vel si hoc ibi fieri propter hostilitatem vel aliud evidens impedimentum non poterit, in duobus vel tribus locis provinciae sine dilatione convenire curretis, & inter vos juxta formam apostolici mandati de ipsius terrae subventionem tractare, & post reversionem suam quilibet vestrum in sua dioecesi Concilium convocet sine mora, auctoritate nostra praecipiens Abbatibus & Prioribus tam exemptis quam aliis, Archidiaconis, & Decanis, & universis omnino Clericis in sua dioecesi constitutis ut juxta veram aestimationem proventus & redditus suos taxent, & infra tres menses post factam eis denuntiationem, quadragesimam partem valoris eorum sub ipsius Episcopi testimonio & aliquot religiosorum virorum, adhibitis nihilominus ad cautelam aliquibus laicis fidelibus & discretis, in locum idoneum ejusdem dioecesis non differant consignare. Ab hac autem generalitate Grandimontenses & Cartusienfes heremitas, monachos Cistercienses & Canonicos Praemonstratenses excipimus, quibus mandatum super hoc injungimus speciale. Ad haec, in singulis Ecclesiis truncum concavum poni praecipimus, tribus clavibus signatum, prima penes Episcopum, secunda penes Ecclesiae sacerdotem, tertia per aliquem religiosum laicum conservandis; ut & in eo fidelis quilibet, juxta quod Dominus eorum mentibus inspiraverit, suas elemosynas firmitate statuta deponere in remissionem eorum peccaminum moneantur, & in omnibus Ecclesiis semel in hebdomada pro remissione peccatorum, & praesertim offerentium, certa die, quam tamen sacerdos praenuntiet popu-

\* Cod. Vat. apostolicae

\* Cod. Reg. Inter-nate

10, Missa publicè decantetur, singulisque diebus inter Missarum solemnias *Deus venerunt gentes* campanis pulsantibus cum oratione consueta dicatur. Concedimus autem vobis, fratres Archiepiscopi & Episcopi, ut circa eos qui de bonis suis terræ sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum & rerum facultate pensatis, & considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ poenitentiae commutare possitis in opus eleemosynæ faciendæ. Noveritis autem nos venerabilibus fratribus nostris Parisiensi & Sueffionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallium Sarneij & sancti Victoris Abbatibus, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandasse ut eos qui in Concilio à dilecto filio Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali tunc apostolicæ sedis Legato apud Divionem collecto tricentam suorum reddituum in terræ sanctæ subsidium liberaliter promiserunt, saltem ad quadagesimam persolvendam, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant. Porro quàm meritorem sit crucis obsequium, quàm laudabile relictis propriis, terræ sanctæ reliquiis subvenire satis patet ex evangelicâ lectione. Illi enim qui assumpto crucis signaculo in terræ sanctæ subsidium non dubitant transfretare, quod in evangelio legitur videntur ad litteram etiam adimplere: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Qui etiam ut veri discipuli Christi fiant, patrem, matrem, uxorem, filios, fratres & sorores, adhuc autem & animam suam juxta verbum veritatis oderunt. Numquid enim patrem, matrem, uxorem, filios, fratres & sorores non videntur odisse qui postposito carnis affectu, Regi Regum in puritate spiritus desiderant militare? Numquid suam animam non oderunt qui ut injuriam vindicent crucifixi, animas ponere non formidant, caritatis ejus privilegio commendandi de qua veritas in evangelio protestatur: *Majorem caritatem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tales quærenti Domino si calicem bibere possent quem ipse fuerat bibiturus, *Possimus securè cum Zebedæi filiis responderent.* Tales de Christi gratia confidentes, dicerent securè cum Petro: *Eccè nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Numquid enim qui regna, principatus, comitatus, & prædia reliquerunt larga, non securè uterentur hoc verbo quo Petrus, qui navim tantùm & rete reliquerat, fuit usus. Nos ergo, qui, licet indigni, locum ejus tenemus in terris cui tales suum devovent famulatum, sanctæ recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, præsentium auctoritate statuimus ut bona eorum & similia, ex quo crucem susceperint, cum familiis suis sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac nostræ necnon Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant, & donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta consistant. Quod si quisquam contra præsumpserit, singuli vestrum in sua diocesi præsumptionem ipsius per censuram ecclesiasticam appellatione remota compeçant. Volentes præterea sic super interdicti sententia prolata in terram carissimi in Christo filij nostri Philippæ Francorum Regis illustris cruce signatorum

petitioni deferre ut non dissolvatur nervus ecclesiasticæ disciplinae, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus ut si qui ex eis officia voluerint audire divina, ea faciatis ipsis, exclusis aliis qui non fuerint cruce signati, non pulsatis campanis, voce celebrari suppressa. Si qui autem eorum excommunicationis forsitan sententia innodati postulaverint absolvi, ab eis juratoria cautione recepta, & ipsis beneficio absolutionis impenso, non negamus quin ab eis statutam pecuniam etiam exigatis juxta terræ consuetudinem, & recipiatis exactam. Veruntamen postquam recepta fuerit, eam ipsis pro terræ sanctæ succursu in peregrinationis subsidium conferatis, ipsum, si grave id forsitan, quod non credimus, vobis fuerit, in quadagesima, quam per vos erogari mandavimus, in eorum stipendia, qui suis non possunt transfretare sumptibus computantes. Præterea prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ut Clerici cruce signati usque ad triennium redditus suos pignori valeant obligare concedimus, atque volumus & mandamus ut eos super hoc nec impediatis per vos in aliquo nec permittatis per alios impediri. Ex parte quoque nostra districtius inhibere curetis dominis signatorum ne ipsos gravent indebitè aut exactio-nibus præsumant insolitis molestare. Quia verò iis qui divina se mancipant obsequiis servitutis & abstinendum ab illicitis & licitis parcius est utendum, ne licitum fiat illicitum si lascivè vel illicenter agatur, volumus & mandamus ut eos ex parte nostra monere diligentius & inducere procuretis ne diebus illis quibus carnis vesci debent, aut etiam jejuniorum diebus, præter pulmenta pluribus ferculis quàm duobus, & eis etiam moderatis, utantur; nisi forsitan Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus tertium ferculum, quod vulgò dicitur intermissum, ultra id quod exhibetur familiaræ apponatur; nec de cetero, donec votum peregrinationis adimpleant, herminis variis seu griseis induantur. Ad quorum utrumque tam Clericos quàm laicos, & mulieres etiam quæ vel transfretare tenentur ex voto, vel securæ sunt in peregrinationis itinere viros suos, similiter volumus commoneri. Armigeros etiam & alios servitores diligenter & efficaciter, quantum in vobis fuerit, inducatis ut coloratis vestibus non utantur, sed contenti sint aliis convenientibus indumentis. Ceterùm quoniam nobiles viri Bologniæ, Bellimontis Comites, & multi alij, sicut accepimus, ut contra votum suum licentiùs veniant, vel illud differant adimplere, signum crucis, quod suis affixerant humeris, in animarum suarum perniciem abjecerunt, fraternitati vestræ, fratres Archiepiscopi & Episcopi, per apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus eos, indulgentia etiam non obstante, si qua forsitan apparuerit per subreptionem obtenta, ut signum crucis recipiant, & cum aliis statuto tempore peregrinationis propositum exequantur, monitione præmissa per excommunicationis & in terras interdicti sententias appellatione postposita compellatis, & quocumque tales devenerint, divina prohibeatis eis præsentibus officia celebrari. Quod si forsitan aliqua vobis indulgentia fuerit præsentata quæ dubia vobis vel difficilis videatur, ita quòd judicare de ipsa facilè non possitis, eam ad nostram præsentiam destinatis. Parochianos quoque vestros

l. q. 1. c. 34.  
Aliud. Vide  
etiam lib. 7. Ca.  
pitular. c. 61.

Vide lib. 7. cap. 11.  
316. pag. 194.  
col. 2.

ne saltem usque ad quinquennium ad torneamenta convenire præsumant, monete diligentius & inducere procuretis, in personas eorum qui contra præsumperint excommunicationis & in terras interdicti sententias sublato appellationis obstaculo proferentes, & quocumque tales devenerint, divina prohibentes ipsis præsentibus officia celebrari; nec prius latis in eos relaxetis sententias quam torneamenta usque ad prædictum terminum solemniter abjurarint. Nos autem de Dei misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa quam Deus nobis, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in personis propriis subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus cordis & oris egerint penitentiam, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Illis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantum expensis juxta qualitatem & facultatem suam viros idoneos destinaverint illis per annum moraturos ad minus, & illis similiter qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Hujus quoque peregrinationis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidij & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabant. Personas insuper ipsorum & bonorum eorum, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, necnon & sub Archiepiscoporum & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant. Quod si quisquam contra præsumperit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui verò proficiscientium illuc ad præstandas usuras juramento teneantur alstricti, vos, fratres Archiepiscopi & Episcopi, per vestras dioceces creditores eorum sublato appellationis obstaculo eadem districtione cogatis ut eos à sacramento penitus absolventes, ab usurarum ulterius exactione desistant. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum sublato appellationis obstaculo districtione simili compellatis. Judæos verò ad remittendum ipsis usuras per secularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remisierint, ab universis Christi fidelibus tam in mercimoniis quam aliis per excommunicationis sententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut si qui forsitan cruce signatorum tanto debitorum onere prægravantur ut fortè soluta non sufficiant ad expensas quas sunt in peregrinatione facturi, creditores eorum quos rei familiaris inopia non excusat, ut usque ad triennium solutionis terminum prorogent monere diligenter & inducere procuretis. Horum autem omnium venerabilibus fratribus nostris Parisiensi & Suesionensi Episcopis, & dilectis filiis Vallium Sarnei & sancti Victoris Abbatibus sollicitudinem delegamus, ut executores sint super capitulis illis quæ fieri sub ecclesiastica districtione mandamus, & in iis ad quæ aliquos moneri jubemus exsequantur officium monitorum.

LXXXV. Termino igitur constituto cruce signatorum exercitus ad partes Venetiarum accessit

tam multus & fortis, devotus & timoratus, ut absque dubio crederetur quod per eum Dominus antiqua miracula innovaret, nec solummodo recuperaretur Hierosolymitana provincia, verum etiam regnum Babylonicum caperetur. Nam & Veneti tam magnifica navigia præparaverant ut à longis retro temporibus nedum visus sed nec auditus fuerit tantus navalium apparatus. Misit ergo Dominus Papa Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum ad exercitum Venetiis congregatum, ut proficisceretur cum illo in nomine Redemptoris. Sed Dux & Consiliarij Venetorum, timentes ne ipse impediret eorum propositum, quod malè conceperant, de Iadera expugnanda, dixerunt quod si vellet ire cum eis, non ut legationis, sed ut prædicationis exerceret officium, ducerent illum, alioquin rediret. Quamvis autem displicuisset hoc Francis, rediit tamen inhonoratus à Venetiis, pravam eorum intentionem summo Pontifici expressè manifestans. Qui litteras misit universis cruce signatis districtius prohibens ne terras Christianorum infestarent, & nominatim Iaderam, quam Rex Vngariæ possidebat, qui similiter erat cruce signatus; alioquin scirent se anathematis vinculo innodatos. Et hanc inhibitionem & excommunicationem fecit eis per Abbatem de Locedio certius intimari. Marchio verò Montisferrati, qui fuerat super hoc à Domino Papa viva voce prohibitus, se prudenter absentans, non processit cum illis ad Iaderam expugnandam.

LXXXVI. Qualiter autem illi ad Iaderam destruendam processerint, quantum super hoc Dominus Papa commotus fuerit, litteræ quas misit ad illos indicant manifestè.

Dolemus non modicum & movemur quod iis quibus remissionis impendere gratiam solebamus & æternæ polliceri retributionis augmentum, nunc, quod sine mœrore multo non dicimus, nostræ salutationis alloquium & apostolicæ benedictionis præsidium cogimur denegare. Ecce etenim aurum versum est in scortiam, & penè penitus æruginavit argentum, cum à puritate vestri propositi recedentes, & in invium declinantes à via, quasi manum retraxistis ab aratro, & retrorsum cum Loth conjuge respexistis. Cum fugientes Ægyptum festinare debuissetis ad terram melle ac lacte manantem, errantes ad solitudinem divertistis; ubi reducentes ad animum qualiter in Ægypto super ollas carniū federatis, non solum esuristis allia & pepones, sed fratrum sanguinem sitivistis. Sanè rememorans serpens antiquus qualiter inter semen mulieris & eum inimicitias Deus posuerit, post hominis primi lapsus, quia in caput prævalere non potuit, insidiatus calcaneo, seipsum occultavit in via, ut vel equorum ungulas tangeret, & cum equo prosterneret ascensorem, consueta fraudis astutia & solitæ nequitie malignitate procurans ut saltem modicum fermenti corrumpere totam massam, & omnium facti rei, cum offenderetis in uno, totius laboris vestri meritum perderetis. Attendens siquidem ipse hostis antiquus, qui est diabolus & sathanas, qui seducit universum orbem, quod majorem caritatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, ut vos tantæ caritatis affectu & mercede privaret, contra fratres vestros bellum movere vos fecit & signa

• Cod. Reg. specialiter

Vide Odor. Raynald. ad an. 1207. §. 6.

Lib. 5. epist. 167

vestra primùm contra fideles populos explicare, quatenus sic ei peregrinationis vestræ solveretis primitias, & tam vestrum quàm fratrum vestrorum sanguinem demonibus funderetis. Habentes igitur faciem non euntis in Hierusalem, sed descenditis potius in Ægyptum, in Hierico ab Hierosolymis descendistis, & incidistis ideo in latrones, qui & vos virtutum spoliarunt amictu, & peccatorum plagas imposuerunt spoliatis; nec abire tamen voluerunt hæcenus nec relinquere semivivos, cum adhuc apud vos immissiones per angelos malos fiant, ut tamquam pro necessitatibus vestris divertatis ad insulas, & in sumptibus vestros Christianorum spolia convertatis, sicut nuper apud Iaderam accepimus vos fecisse. Cum enim illuc navigio venissetis, signa vestra contra civitatem protinus expandentes, tentoria in obsidione fixistis, vallavistis undique civitatem, & muros ipsius non sine multa effusione sanguinis suffodistis. Cumque cives subire cum Venetis iudicium nostrum vellent, nec in hoc etiam apud vos potuissent misericordiam invenire, circa muros suos crucis imagines suspenderunt. Sed vos in injuriam crucifixi non minus civitatem impugnastis & cives; sed eos ad deditonem violenta dextera coëgistis. Debuerant autem vos à tam nequissimo proposito vel reverentia crucis assumptæ vel carissimi in Christo filij nostri Henrici Regis Vngarorum illustri & nobilis viri Andrea Ducis fratris ejus devotio, qui pro terræ sanctæ subsidio crucis signaculum assumpserunt, vel saltem apostolicæ sedis auctoritas, quæ vobis curavit districtius inhibere ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia causa justa vel necessaria forsan occurreret propter quam aliud agere, accedente consilio Legati, possentis. Ne verò præmissa inhibito segniter audiretur, si qui contra eam venire præsumerent, eos denunciavimus excommunicationis vinculo innodatos & beneficiis indulgentiæ quam apostolica sedes cruce signatis indulgit immunes. Ceterum licet dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus prohibitionis nostræ tenorem quibusdam ex vobis exponere curavisset, & tandem litteræ nostræ vobis fuissent publicè præsentatæ, nec Deo nec sedi apostolicæ detulistis, sed ut se redderent coëgistis miseros Iadertinos. Veneti ergo in oculis vestris subverterunt muros civitatis ejusdem, spoliaverunt Ecclesias, ædificia destruxerunt, & vos cum eis Iadertinorum spolia divisistis. Ne igitur addatur peccato peccatum, & in vobis quod legitur impleatur, *Peccator contemnit eum in profundum venerit viatorum*, universitatem vestram monemus & exhortamur attentius & per apostolica vobis scripta mandamus & sub interminatione anathematis districtè præcipimus quatenus Iaderam nec destruat amplius quàm hæcenus est destructa, nec destrui faciatis, aut quantum in vobis fuerit permittatis, sed nuntiis Regis ejusdem ablata omnia restituere procuratis. Alioquin vos excommunicationis sententiæ subjacere noveritis, & à promissa vobis venia remissionis immunes.

LXXXVII. Principes verò Francorum suum recognoscentes excessum, juraverunt in manibus Episcoporum suorum quòd super eo mandatis Do-

mini Papæ paterent; & fecerunt se ab illis absolvi, mittentes Suesionensem Episcopum ad apostolicam sedem ut commotionem summi Pontificis mitigarent & illum consulere qualiter essent de cetero processuri. Ipse verò per litteras suas præcepit eisdem quatenus dignè de tanto pœnitentes excessu, & satisfaciens congruè de peccato, redderent universa quæ ad eos de Iadertinorum spoliis pervenerant, & à similibus de cetero penitus abstinerent. Quia verò sententiam apostolicæ sedis præter auctoritatem ipsius nullus potuit relaxare, quibusdam viris discretis injunxit ut ab eis quòd nondum juraverant apostolicis stare mandatis reciperent juramentum, à juratis autem exposcerent ut in eorum præsentia recognoscerent taliter se jurasse, ac deinde juxta formam Ecclesiæ munus absolutionis impenderent universis; injungentes Comitibus & Baronibus sub debito juramenti ut per patentes litteras tam se quàm successores suos sedi apostolicæ obligarent quòd ad mandatum ejus de tanta præsumptione satisfactionem exhibere curabunt; omnibus autem præciperent in communi ut à similibus de cetero abstinerent, salvis aliis mandatis quæ super hoc duceret facienda. Porrò Comites & Barones obligaverunt se sicut fuit illis injunctum, & sic omnes absoluti fuerunt. Veneti verò, tamquam qui gloriantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, nec ad pœnitentiam agendam nec ad indulgentiam implorandam voluerunt aliquatenus inclinari. Ad consultationes autem Francorum Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Si verè vos pœnitet de commisso, & plenè proponitis satisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, immo novimus jam placatum. Si verò Veneti potuerint ad satisfactionem induci, & absolutionis beneficium meruerint obtinere, securè cum eis navigare poteritis & prælium Domini præliari. Quòd si nec satisfacere fortè voluerint nec absolvi, utpote qui non dolere sed gaudere dicuntur potius de commisso, permittimus vobis ut cum ipsis usque in terram Sarracenorum vel Hierosolymitanam provinciam, juxta quod inter vos & ipsos convenit vel honestè convenerit, navigio transeat, quanto minus poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & sub spe veniæ communicantes eisdem. Cum enim jam à vobis majorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci aut etiam coarctari, si aliter fieret, videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi autem præmium ex contumacia reportare; cum ad hoc debitum exsolvendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi possit & recipi quod debetur. Est autem cautum in jure quòd si quisquam per terram hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessaria emere ac recipere poterit ab eisdem. Præterea si paterfamilias domus excommunicationis sententia fuerit innodatus, à participatione ipsius familia excusatur. Licet ergo Dux Venetorum dominus navium, tamquam paterfamilias domus, in excommunicatione persistat, vos tamen, tamquam ipsius familia, dum in navibus ejus fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud Deum si in excommunicatorum navibus existentes, cum dolore cordis sub spe pœnitentiæ excommunicatis ipsis



communicaveritis in quibus communionem eorum nequiveritis evitare. Verum cum vel in terram Sarracenorum vel Hierosolymitanam provinciam de navibus vos descendere contingeret, nisi Veneti ad satisfaciendum & recipiendum juxta formam Ecclesie absolutionis beneficium inducunt fuerint vel compulsi, cum eis nullatenus praeumatatis praelium Domini praeliari; ne si eis habentibus aliquid de anathemate in crucis insurrexeritis inimicos, non praevaleritis in eos, sed terga vertentes fugiatis potius & cadatis. Nam in libro Iosue legitur quod cum Achan filius Charmi pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum de Hierico anathemate rapuisset, iratus est Dominus Israel. Unde cum adversus Hai ascendissent tria millia pugnatorum, statim terga vertentes percussi sunt a viris urbis Hai, & corruerunt ex eis triginta & sex homines; persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes; nec prius Dominus urbem Hai in manus tradidit Israel quam Achan populus lapidavit & omnia quae illius fuerant igne consumpsit. In Paralipomenon etiam cum Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israel, cujus opera pessima fuerant, foedus inisset, fecissentque naves quae irent Tharsis, Eliezer filius Dodau de Maressa ad Iosaphat prophetasse legitur & dixisse: *Quia habuisti foedus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naves, nec poterunt ire Tharsis.* In libro autem Machabaeorum legitur quod cum Iudas contra Gorgiam praepositum Idumaeae cum tribus millibus peditum & quadringentis equitibus ascendisset, in congressu contigit paucos ruere. Cumque postmodum Iudas prostratorum corpora in paternis sepulcris ponere voluisset, invenit de idolorum donariis quae apud Iampiam fuerant, & a quibus prohibet lex Iudaeos, sub tunicis occisorum. Factum est igitur omnibus manifestum ob hanc causam eos qui ruerant corruisse. Ne autem victualia vobis desint, carissimo in Christo filio nostro Imperatori Constantinopolitano scribemus ut juxta quod per litteras suas nobis ipse promissit, victualia vobis faciat exhiberi. Quod si forsitan ea vobis contingeret denegari, cum tamen vos devoveritis ad commune obsequium crucifixi, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in ea, posset utique non absurdum videri ad similitudinem Imperatoris terrae, de quo cautum est in jure civili quod si ejus exercitus indigerit alimentis, ea possit accipere undecunque, possitis & vos cum timore Domini sub satisfaciendi proposito ad necessitatem tantum ea sine personarum accipere lesione. In libro namque judicum reperitur quod cum Gedeon Zebec & Salmata Reges Madian persequeretur instanter, & primo a viris Socoth, ac secundo ab habitatoribus Phaniel panes pro populo qui secum venerat, & jam quasi defecerat, postulasset, quia ei quod postulaverat denegarant, victor reversus tulit seniores civitatis Socoth & spinas defertiac tribulos, & contrivit cum eis atque comminuit viros Socoth. Turrim quoque Phaniel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. Necessitas enim, maxime cum insititur operi necessario, & in multis excusat. Cum enim Dominus sab-

bato per fata transiret, & vellent discipuli ejus spicas, ac manducarent manibus confricantes, & quidam Pharisaeorum ad discipulos *Quid facitis quod non licet in sabbatis proclamarent*, Iesus eis legitur respondisse: *Nec hoc legistis quod fecit David, cum esuriret ipse & qui cum eo erant, quomodo venit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat nisi tantum sacerdotibus manducare?* Et consequenter adjecit quia filius hominis dominus est etiam sabbati. Sed & hoc negotium filij hominis est, & praelium Domini quod intenditis praeliari. Haec autem exempla de scripturis sanctis induximus, non ut concedamus rapinam, sed ut toleremus quod ex gravi necessitate sine grandi dispendio vitari non posset. Provideatis autem prudenter & caute, ut si forte Veneti voluerint occasiones aliquas invenire quod exercitus dissolvatur, multa pro tempore dissimulare ac tolerare curetis, donec ad locum perveneritis destinatum, ubi opportunitate accepta, eorum, ut expedit, malitiam comprimitis.

LXXXVIII. Praemissit itaque Dominus Papa Soffredum tituli sanctae Praxedis Presbyterum Cardinalem in Hierosolymitanam provinciam, ut interim ibi legationis officium exerceret; & fecit ei mille ducentas libras conferri, ut eas tum in necessitates familiae suae, tum in utilitatem terrae sanctae providere distriberet, sicut cognosceret expedire. Petrum vero tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem direxit post illum, ut, si posset, cruce signatis se jungeret, aut si non posset, in Syriam transfretaret, conferens ei rotidem libras propter causas easdem. Vterque vero, unus post alium in Hierosolymitanam provinciam transfretavit, per insulam Cypri transitum faciens, & in ea quae fuerant ordinanda disponens. Soffredus ergo praecedens, Hierosolymitanum Patriarcham invenit in ultimis laborantem; quo post aliquot dies ex hac luce migrante, idem Legatus a clero fuit in Patriarcham electus, & a populo expertus, cum Regis assensu & suffraganeorum favore. Missique sunt nuntij de communi consilio ad apostolicam sedem, ut obtineret eum in Patriarcham sibi concedi, & post concessionem sibi palleum destinari. Deliberavit ergo summus Pontifex ut idem Legatus induceretur, si posset, sed non cogeretur si nollet, patriarchatum recipere, mittens palleum alteri Cardinali ut illud ei, si consentiret, conferret. Sed illenoluit aliquatenus consentire. Unde obtinuit de alterius electione tractari; & convenerunt omnes in Vercellensem Episcopum, virum utique vita & scientia & fama praclarum, cui Papa scripsit hoc modo.

Vt lapsus humani generis repararet unigenitus Dei filius Iesus Christus, cum in forma Dei esset, exinanivit, ut testatur Apostolus, semetipsum, formam servit accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, & elegit sibi Hierosolymam passioni, factus obediens Deo patri usque ad mortem crucis, & peccata nostra in corpore suo pertulit super lignum, repletus cum iniquis, & cum latronibus crucifixus. Nisi ergo de ingratitude vitio servus voluerit inutilis condemnari, nec jugum nec jugulum recusat subire pro Domino, cum Dominus tradidit se pro servo morte turpissima condemnatus.

Sanctus

Vide lib. 7. cap. 336.

Vide Raynald. ad an. 1195. f. 37.

Sanè ut omnem occasionem nobis Dominus tollet, nec ad excusandas excusationes in peccato negligentia locum aliquem relinqueret, quicquid servus pati potuisset pro Domino, penè passus est Dominus antè pro servo. Quis ergo terrena omnia non relinquat pro eo quem descendisse noverit à caelestibus ad terrena? Quis animam suam non ponat pro illo qui pro eo spiritum emisit in cruce? Siquidem ut retribuamus ei aliquid pro omnibus quæ retribuit ipse nobis, nec tribulatio, nec angustia, nec mors, nec gladius nos debet aliquatenus retardare quò minus, si necessitas exigat & deponat utilitas, gustemus pro eo calicem passionis. Si enim quemadmodum ambulavit ambulare disponimus & vestigia ejus sequi, nec opprobria exprobrantium, nec hostis familiaris infidias, nec inimici faventis potentiam debemus aliquatenus formidare quò minus in visis ambulemus ipsius & pedes nostros in ejus fœmitis dirigamus, passo compatientes ad tempus, ut in æternum regnanti feliciter contregnemus. Novimus etenim & certum tenemus tam ex prophetica quam evangelica lectione quòd improperium expectavit cor ejus, cum lingua ei maledicentium exprobraret quòd filius fabri esset, potator vini, & publicanorum amicus. Novimus quòd qui edebat panes ejus erexit calcaneum contra ipsum. Novimus qualiter spuito conspersus, cæsus colaphis, spinis coronatus, Pilati tyrannidem pertulit patienter, crucifixus ad ultimum, & lancea perforatus. Numquid ergo tuo te factori negabis, ut recuses onus Ecclesiæ Hierosolymitanæ subire, quam ipse suo sanguine consecravit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, numquid non adibis hereditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto, qui per te disposuit forsitan in terram peregrinationis & prædicationis suæ semen evangelicum propagare? Absit ut labores, timores, & dolores evites, paupertates, anxietates, & necessitates effugas, ne subeas onus illud ad quod es divina dispositione vocatus. Absit ut pro eo labores evites qui pro te per Prophetam se asserit laborasse, dicens in psalmo, *Laboravi sustinens*, & de quo Evangelista testatur quòd hora quasi sexta sedebat super puteum ex itinere fatigatus. Absit ut pro eo dolores evites quem pro te non dubitas doluisse, juxta quod ipse asserit in Propheta, *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor similis sicut dolor meus*, & qui de seipso in evangelio protestatur: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Absit ut pro illo timores evites qui de se legitur in psalmo dixisse, *Timor & tremor venerunt super me*, & de quo in evangelio legitur quòd cepit pavere & tædere. Absit ut pro eo fugias paupertatem qui pro te pauper est factus, juxta quod asserit in Propheta: *Pauper & dolens sum ego*, & in evangelio: *Vulpes foveas habent, & volucres cali nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Absit ut pro eo anxietates refugas in cujus persona loquens Propheeta sic ait: *Anxius est in me spiritus meus, & in me turbatum est cor meum*. & qui asserit de seipso: *Baptisma habeo baptizari, & coarctor donec perficiatur*. Absit ut pro eo necessitates effugas qui pro te, ut alia taceamus, se in famis & sitis necessitatem induxit, juxta quod legitur in Propheta: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea po-*

Tom. I.

*taverunt me aceto*. & sicut idem Evangelista testatur quòd cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit, & cui, cum clamasset in cruce *Siris*, acetum sive vinum myrrhatum sive etiam felle mixtum crucifigentium dextera propinavit. Si fortè te moveat quòd ad illius Ecclesiæ præsulatum vocaris cujus ad præsens non poteris possessionem adire, utpote quæ ferè tota nunc ab hostibus detinetur ad tempus, reducas oculos tuæ mentis quomodo Iacobus frater Domini suscepit Hierosolymam gubernandam, non quidem faventem sibi, sed potius repugnantem; utpote in qua illi tenebant eo tempore potentatum qui & Dominum crucifixerant extra urbem, & circa templum postmodum ipsum Iacobum occiderunt. Et licet Iohannes & Thadæus secundum carnem fuerint fratres Domini, Iacobus tamen specialiter dicitur frater ejus, utpote qui relictam fratris defuncti duxerit uxorem, ut semen ei juxta legem Mosaicam suscitaret. Qui etiam non incongruè dicitur supplantator, cum quodammodo Apostolos supplantaverit; utpote qui quamvis primus inter alios non fuisset, ceteris tamen quasi primogenituram præripuerit, dum primogenituram suscepit Ecclesiam gubernandam, de qua videlicet Propheta testatur quòd de Sion exivit lex & verbum Domini de Hierusalem. Hæc est civitas Regis magni, de qua multa dicta sunt gloriosa, & illud quasi præcipuum quod subjungitur: *Mater Sion dicit, homo & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*. Præterea licet pars ipsius Ecclesiæ, quod dolentes referimus, in excidio terræ sanctæ capta fuerit & ab hostibus trucidata, pars tamen quæ manus evasit hostiles, immo etiam ipsa Ecclesia, quæ per novam est sobolem renovata, in pastorem te sibi expetit & expectat. Non ergo de loco causeris, cum personas habeas quas gubernes; quia nomen Ecclesiæ ad personas refertur amplius quàm ad locum; licet ad hoc specialiter postuleris, ut de loco sollicitus, ad recuperationem ipsius & reintegrationem terræ nativitatibus dominicæ totis viribus elaborares. Accedentes enim ad præsentiam nostram dilecti filij Prior & Canonici sepulcri dominici tam viva voce quàm per litteras quas tulerunt nobis humiliter intimarunt quòd cum dilectus filius noster Soffredus tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus non potuisset induci ut electioni factæ de ipso ad Hierosolymitanam Ecclesiam consentiret, convenientes in unum te in Patriarcham unanimiter postularunt: quorum postulationi & carissimus in Christo filius noster A. illustris Rex Hierosolymitanus assensum præstitit, & Archiepiscopi consenserunt, per suas nobis litteras supplicantes ut te non solum inducere sed etiam cogere dignaremur ut postulationi eorum humiliter consentiret. Idem quoque sanctæ Praxedis & dilectus filius noster Petrus tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinales, apostolicæ sedis Legati, per suas nobis litteras intimarunt quòd cum suffraganei Ecclesiæ Hierosolymitanæ in electione vocem assererent se habere, Prior autem & Canonici sepulcri dominici hoc negarent, factum est tandem ut nominatis duabus personis, vices & voces suas in eas devotè conferrent ut ex illis quam magis idoneam crederent eis eligerent Patriarcham. Similiter & Prælati provinciarum in eos

fi quid juris in electione habebant concorditer contulerunt. Ipsi ergo deliberatione præhabita de duabus nominatis personis te potius eligentes nominarunt eidem Ecclesie in pastorem. Licet autem valde nobis necessarius sis in partibus Lombardie, utpote cui securè in arduis negotiis committimus vices nostras, propter urgentem tamen necessitatem, non solum Ecclesie Hierosolymitanæ, sed totius orientalis provincie, quandam nobis quasi violentiam inferentes, monemus discretionem tuam & exhortamur attentius, & in remissionem injungimus peccatorum, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi quatenus \* dictæ nominationi consentiens, & prædictorum omnium desideriis condescendas, & electionem recipias de te factam; ne, si aliter egeris, voluntati divinæ resistere videaris, quæ tamen & à volentibus & à nolentibus semper impletur; prudenter attendens; ne si persona minus idonea vel forsan indigna eidem præficeretur Ecclesie juxta desiderium aliquorum, tibi propter contradictionem tuam posset non immerito imputari. Nec laborem istum refugas, tanquam peficere nequeas quod exoptas; quia Deus non tam profectum remunerat quam laborem. Propter quod dicit Apostolus: *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundum suum laborem.* & alia scriptura testatur: *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* Unde cautè dixit Apostolus: *Plus omnibus laboravi.* nec dixit: *Omnibus plus profeci.* Quamquam ex laboribus tuis profectus speremus non modicos proventuros. Taliter igitur pro Deo & propter Deum super hoc mandatum apostolicum exequaris quod manum districtioris severitatis nos non oporteat exhibere. Nam etsi secundum statuta canonica nullus invitus crescere compellatur, tamen juxta legitimas etiam sanctiones aliqui ad publica munera \* trahuntur inviti. Interest autem tam apostolicæ sedis quam Ecclesie generalis, immo & generaliter omnium & singulariter singulorum fidelium crucifixi, ut eidem Ecclesie persona præficiatur idonea in pastorem; nec tu tam ad honorem assumeris quam ad onus, cum Ecclesia illa hodie plus habeat oneris quam honoris. Ne turberis in aliquo, vel causeris quod præfatus Cardinalis sanctæ Prædix factam de se postulationem canonicam sepulcri dominici non admisit: quia forsan, sicut Sarra Tobie, sic & ipsa viro fuit alij divino judicio reservata; vel fortassis hoc eum ad hanc oneris recusationem induxit, ne, cum in partibus illis præsens existeret, videretur promotionem propriam procurasse, ac ex eo præsertim notam ambitionis incurreret quod cum ad remotionem cujusdam perversæ personæ, quæ ad eandem Ecclesiam fuerat improbè nominata, opportunè ac importunè, sicut ad ejus pertinebat officium, institisset, amota illa factam de se postulationem postmodum acceptaret.

LXXXVIII. Ipse verò Vercellensis Episcopus humiliter acquiescens, ad apostolicam sedem accessit, & in Patriarcham promotus non solum pallei ornamentum accepit, verum etiam officium legationis promeruit per quadriennium in sua provincia exercendum; Ianuamque profectus, inde in Syriam navigavit. Philippus autem, sicut convenerat cum Marchione Montisferrati, misit Alexium fororium suum filium videlicet Isachij

quondam Constantinopolitani Imperatoris; & eodem Marchione sagaciter mediante tractatum est inter ipsum & exercitum Christianum ut idem exercitus reduceret illum in Græciam & juvaret ad Constantinopolitanum imperium obrinendum, ipseque pecuniam eis promissam solveret, & alia pacta cum eis inita custodiret, postquam imperium obtineret. Verum cum hoc ad summi Pontificis notitiam pervenisset, scripsit illis hoc modo.

Cum in manu valida & extento brachio egressi fueritis de Ægypto ut vos ipsos Domino in sacrificium offerretis, doluimus non modicum & dolemus quod adhuc Pharaos vos persequitur fugientes, vel vos potius sequimini Pharaonem, qui vos sub quadam necessitatis specie ac velamine pietatis sub jugo peccati vetustæ suæ nititur subdere servituti. Doluimus autem, sicut præmissimus, & dolemus pro nobis pariter & pro vobis & pro universo populo Christiano. Pro nobis, quia dum quod seminaveramus in lacrymis per Legatos & litteras nostras, vobis & aliis sapius non absque quadam amaritudine cordis & corporis anxietate non modica verbum Domini proponentes, & exhortantes nominis Christiani cultores ad vindicandam injuriam crucifixi, & credebamus vos in exultatione messuros, ex improvviso messi nostræ inimicus homo superseminavit zizania, & sic \* seminavit ut in lolium degenerasse triticum videatur. Pro vobis autem; quoniam cum expurgassetis vetus fermentum, & crederemini jam veterem hominem cum suis actibus exuisse, modicum fermenti, & utinam modicum, corruptit denuo totam massam; & dum vestimenta candida non servastis, quasi veterem reinduistis amictum, manum retrahentes ab aratro, & respicientes cum conjuge Loth retrosum; ita ut apti non videamini secundum Apostolum regno Dei. Pro populo autem Christiano doluimus; quoniam inde humiliatur amplius unde credebatur potius exaltari. Cum enim multi qui vos præcesserunt in terræ sanctæ succursum, quod non ascenderetis audito, ad propria sunt reversi, de proximo vestro passagio diffidentes, Sarraceni de accessu vestro dubij, & illorum recessu securi, contra Christianos animos assumpserunt; & qualiter peccatis exigentibus prævaluerunt contra eos referre nolumus, cum sit ferè ubilibet divulgatum. Gaudemus autem quod receptis litteris nostris \* erratum in vobis intelligentes, devotè ac humiliter mandatum estis apostolicum executi, & juramento præstito vel recognito, absolutionis beneficium percepistis, vos & successores vestros, filij Comites, cum duobus Baronibus Gallicanis ad satisfaciendum juxta mandatum nostrum super eo quod apud Iaderam excommunicationis sententiam incurristis, per parentes litteras obligantes. Utinam autem pœnitentia vestra sit vera, ut sic pœniteatis videlicet de commissis quod à similibus de cetero caveatis: quoniam qui adhuc agit quod pœnitet, non est pœnitens, sed illusor, & cani reverso ad vomitum comparatur pœnitens rediens ad peccatum. Est quoque levius peccatum quod semel committitur quam quod commissum semel, postmodum iteratur. Nullus itaque vestrum sibi temerè blandiatur quod terram Græcorum occupare sibi liceat vel prædari tanquam minus apostolicæ sedi subiectam, & quod Imperator Constantinopolitanus deposito fratre suo & etiam exce-

\* Cod. reg. & Ped. divinæ vocationi

\* Cod. Ped. compelluntur

Vide Raynald. ad an. 1101. §. 11.

\* Cod. reg. viciari

\* Cod. reg. erratum.

cato imperium usurpavit. Sanè quantumcunque in hoc vel aliis idem Imperator & homines ejus jurisdictioni commissi delinquant, non est tamen vestrum de ipsorum judicare delictis, nec ad hoc crucis signaculum assumpsistis ut hanc vindicaretis injuriam, sed opprobrium potiùs crucifixi, cujus vos obsequio specialiter deputastis. Monemus igitur \* universitatem vestram & exhortamur attentius, & per apostolica vobis scripta mandamus quòd nec decipiatis vos ipsos, nec ab aliis decipi permittatis, ut sub specie pietatis agatis illa, quod absit, quæ redudent in vestrarum perniciem animarum; sed cessantibus potiùs occasionibus frivolis & necessitatibus simulatis, in terræ sanctæ transeatis subsidium, & crucis injuriam vindicetis, accepturi de hostium spoliis quæ vos, si moram feceritis in partibus Romanæ, oporteret forsitan à fratibus extorquere. Aliter enim \* nec possumus nec debemus remissionis vobis gratiam polliceri. Inhibitionis autem nostræ tenorem, qua vobis sub excommunicationis interminatione vetuimus ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia justa & necessaria causa forsitan occurreret propter quam aliud agere interveniente consilio Legati possentis, memoriter retinere vos volumus & monemus, ne contra eam leviter veniatis. Ne autem culpa Ducis & populi Venetorum in pœnam vestram redundet, volumus & mandamus ut litteras nostras, quas ipsis assignandas direximus, & quæ adhuc apud vos esse noscuntur, assignari faciatis eisdem, ne ipsi excusationem in peccatis assumant.

X C. Ipsi tamen nihilominus in Græciam navigantes, Constantinopolim pervenerunt; ubi quid actum fuerit ab ipsis, litteræ ipsorum ad Dominum Papam directæ declarant.

Quanta fecerit nobis Dominus, immo non solum nobis, sed nomini suo dederit his diebus, quanta possumus brevitate perstrinximus, ipso prænotantes \* initio, quia ex quo urbem transgressionis exivimus, (sic enim laderam nominamus; cujus excidium vidimus dolentes quidem & necessitate compulsi) nihil inter nos ordinatum esse meminimus quod communiter ad utilitatem pertineret exercitus quin illud in melius providentia divina mutaverit, sibi que in totum vendicans, stultam fecerit sapientiam nostram. Hinc est quòd eorum quæ facta sunt apud nos gloriosè, omnem à nobis gloriam jure repellimus; quippe qui operis adhibuimus parum, consilij nihil. Vnde necesse est ut si quis ex nobis voluerit gloriari, in Domino gloriatur, non in se, vel in altero. Fædere igitur confirmato cum illustri Constantinopolitani quondam Imperatoris Isachij filio Alexio, cum victualibus omnibus, & rebus egentibus, terræ sanctæ videremur gravamen potiùs illaturi, sicut & alij ex nobis qui nos præcesserunt, quam juvamenti aliquid allaturi, nec terræ Sarracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare potentes, verisimilibus quidem rumoribus & argumentis inducti quòd dicti Alexij suspiraret adventum regis pars potiùs civitatis, & pondus imperij, quem electione concordi cum solemnitate debita sublimasset, contra consuetum ordinem temporis aura favente, obediens Domino ventis & mari, ad urbem regiam præter ont-

Tom. I.

nem spem prosperè applicuimus, & in brevi. Sed nec adventavimus improvisi, qui usque ad sexaginta millia equitum præter pedites in urbe reperimus; & transilientes loca utilissima, pontes, terras, & flumina, sine damno nostrorum, terra & mari obsedimus civitatem & tyrannum pariter, qui commisso in fratrem patricidio faeces imperij diutina incubatione polluerat. Præter igitur omnium opinionem, universorum civium mentes contra nos invenimus obfirmatas, nec aliter contra dominum suum civitatem muris & machinis oberatam quam si adventasset populus infidelis, qui loca sancta polluere & religionem proponeret inexorabiliter evellere Christianam. Imperij siquidem crudelissimus incubator, domini & fratris sui Imperatoris orbator & proditor, quique eundem carcere perpetuo sine crimine condemnasset, idem filio ejus illustri facturus Alexio si non eundem à manibus ejus felix eripuisset exilium, & præhabita in populo detestabili concione, potentes simul & plebem sermonibus adeo infecerat venenosus ut ad subversionem libertatis antiquæ Latinos assereret adventare, qui Romano Pontifici locum & gentem restituere properarent & Latinorum legibus imperium subjugare. Hæc profectò res sic omnes contra nos animavit pariter & atnavit ut contra nos & exulem nostrum viderentur omnes pariter conjurasse. Sapius ergo per nuntios nostros, immo per ipsum exulem nostrum & Barones nostros à civibus postulantes audiri, nec adventus nostri causam nec petitionis modum potuimus explicare; sed quotiens terra vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, totiens retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur quòd præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti ut statim necesse haberemus aut perire aut vincere, cum obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium incredibilis urgeret angustia, non ex desperatione quidem, sed inspirata quadam securitate divinitus suspirare cœpimus ad bella \* promptissimi, periculis nos audacter opponere, & incredibiliter in omnibus obtinere. Ad conflictum etiam campestem sapius ordinati, inæstimabilem multitudinem fuga in urbe ignominiosa conclusimus. Aptatis igitur terra & mari bellicis instrumentis, die obsidionis octavo violenter civitas introitur, grassatur incendium, disponit contra nos acies Imperator; & paratis nobis excipere venientem, constantiam nostram cum paucitate miratus, ignominiosè \* terga refl. cit, in urbem retrogressus ardentem. Ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suamque in urbe relinquit uxorem & parvulam prolem. Eadem re comperta, nescientibus nobis, Græcorum proceres in palatio congregantur, & exulis nostri solemniter celebratur electio, seu potiùs restitutio declaratur, insperatamque lætitiâ copiosa in palatio luminaria protestantur. Manè factò prodit in castra \* copiosa Græcorum procerum multitudo, suumque cum gaudio quærit electum. Restitutam civitati asserunt libertatem, & regredienti filio ad faeces imperij cum gaudio inæstimabili sublevatum de carcere caput patris Isachij quondam Imperatoris ostendunt. Præordinatis itaque quæ necessaria videbantur, ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ novus Imperator cum solemniter processione deducit.

g ij

\* Cod. reg. nobilissimi

\* Cod. reg. & Pod. quia non poss. n. deb. rem. gra. vo. pollicemur.

Vide Arnold. Lib. 6. c. 19.

\* Cod. reg. indicio

\* Reynald. paucissimi

\* Cod. reg. & Pod. sicua

\* Arnold. incertis

tur, & exuli nostro sine omni contradictione imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His peractis, ad solutionem promissorum profilit Imperator, & promissa rebus accumulata, victualia pro servitio Domini profutura nobis præbet in annum, ducenta marcharum milia nobis solvere pergit, & Venetis sumptibus suis stolium prolongat in annum, seque juramento astringit quod \* erigere nobis debeat regale vexillum & in passagio Martij nobiscum ad servitium Domini proficisci cum quantis poterit milibus armatorum, & sub eadem promissione concludit quod eam reverentiam præstare debeat summo Pontifici quam antecessores sui Imperatores catholici prædecessoribus suis Pontificibus pridem impendisse noscuntur, & Ecclesiam orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare, ac toto vitæ suæ tempore milites quingentos cum sumptibus suis in terra sancta honorificè provisurum ad servitium Redemptoris.

\* Armis exire nobiscum debeat

Vide Raynald. ad an. 1103. §. 17. 18.

Tunc demum Dux & Veneti qui erant in Græcia miserunt nuntios ad Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum, absolutiois beneficium implorantes; qui misit ad illos cum litteris suis Thesaurarium Nicosiensem de Cypro, & recepto ab eis secundum formam Ecclesiæ juramento, fecit illos absolvi, quamvis adhuc in nullo satisfecerint de commissis, malens eos habere claudos quam mortuos; præsertim ne ipsorum contagium ceteros inquinaret.

XCI. Alexio igitur cum Isachio patre suo ad Constantinopolitanum imperium restituto, eoque fidei non fervante Latinis, qualiter Constantinopolitana civitas capta fuerit, & Balduinus Comes Flandriæ ad imperium sublimatus, ipsius litteræ ad Dominum Papam transmissæ describunt.

Sanctissimo, inquit, Patri & Domino carissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici Balduinus eadem gratia Constantinopolitanus Imperator & semper Augustus, Flandriæ & Hainoniæ Comes, Miles suus, cum devota obsequij voluntate pedum oscula beatorum. Cùm paternæ sollicitudinis zelo, & nostræ congregationis in idipsum amore speciali, quæ circa nos aguntur sanctitas vestra scire desideret, seriatur vobis declarandum esse decernimus quam mira circa nos ufa sit divina clementia novitate; quamquam non nobis, sed nomini suo gloriam dederit omnibus seculis admirandam. Mirabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succedunt; ut etiam infidelibus dubium esse non debeat quin manus Domini operetur hæc omnia, cùm nihil speratum aut provisum antè contigerit, sed tunc demum nova nobis Dominus procuraverit auxilia cùm nihil humani videretur superesse consilij. Et quidem, si bene meminimus, per litteras paternitati vestræ transmissas nostri progressus & status narrationem eò usque deduximus ut urbe populosa capta violenter à paucis, tyranno fugato, ac filio Isachij Alexio coronato, mora nostra promissa foret & ordinata per hiemem, ut potenter obtinerent si qui resistere videbantur Alexio. Et nunc breviter narranda suscipimus quæ circa nos postea contigerunt, eo prænotato, quod sicut non opera hominum fuerit, sed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum opera fuerit, sed dæmonum, quæ cum Im-

peratore novo Græcòque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Nos siquidem, ne discordia inter nos & Græcos fomitem ministraret moribus nostris adversa barbaries, de civitate exeuntes, ex adverso civitatis in interjacente portu ad preces Imperatoris castra posuimus, & ex insperato, seu innata malitia, vel Græcorum seductus perfidia, animo recessit à nobis cui tanta beneficia contulimus Imperator, & in omnibus cum patre, Patriarcha, & mole nobilitum nobis promissis perjurus & mendax, tot incurrit perjuriam quot nobis præstitit juramenta. Unde nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur incassum, & navigij quod eum adduxerat & sublimaverat ad coronam procurat incendia. Sed voto tam crudeli, Deo nos protegente, fraudatur. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proveniunt. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur; Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis, ea occasione captata, quod nullum ad auxilium nostrum deberet habere \* confugium. Cùmque eidem evadendi spes unica restaret in nobis, juratum sibi quendam Marculsum nomine, sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficiis impensis super omnes alios confidebat, mittit ad exercitum nostrum, qui Blachernæ palatium nobis sub Imperatoris & suo juramento promittit in obsidium donec nobis cuncta promissa reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis Marchio, illudit Alexius Marchioni; & quos jam nobis dederat sprete obsidibus, consueta perjuriam non veretur. Nocte insculta Marculus domino suo perjurus & nobis, Græcis reddendi nobis palatii revelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum ipse declarat ut deiciatur Alexius. Cujus prodicionis merito tertius in urbe Imperator attollitur. In dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus; eumque carcere tetro concludens, ac conducens tertium Nicolaum quandam, qui apud sanctam Sophiam imperiales infulas noviter usurparat, traditum sibi Græcorum, qui eum creaverant, prodicione rursus incarcerat, mortuoque postmodum Isachio, qui animum filij sui à nobis præ omnibus, ut dicebant, averterat, acclamante clero Græcorum & populo ut de terra tolleretur in brevi, tantum sanguinem nostrum sitientibus Græcis, prælia contra nos proditor jam dictus instaurat, urbem machinis & propugnaculis munit, quorum familia nemo vidit unquam. Cùmque murus miræ latitudinis lapidibus munitus, cœmentoque tenacitatis & firmitatis antiquæ constructus, in altum valde conflurgens, turres haberet amplissimas pedibus circiter quinquagenis paulò plus minusve distantes inter quaslibet duas, à parte maris, quò noster timebatur assultus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus aut quatuor multitudinem continentibus armatorum. Nihilominus etiam inter quaslibet duas turres seu petratia seu mangonellus erigitur. Turribus autem supereriguntur lignæ turres altissima stationum sex; superque supremam stationem adversum nos porriguntur scalæ, appodiationes ex utraque parte & propugnacula continentes, paulò minus excellentis scalarum capitibus quam jacere in altum posset arcus à terra. Murum etiam ipsum mutus

\* Cqd. nrg. rda. gium.

circumcingit inferior, duplexque fossatum, ne muris ulla applicari possent ingenia; sub quibus possent latitare fossores. Interim terra marique nos tentat perfidus Imperator, nos semper Domino protegente & suos frustrante conatus. Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul exeutibus nostris, usque ad mille animas hominum pugnantium Imperator occurrit in multitudine gravi, primoque congressu dissipatur omnino, cæsis captisque non paucis sine damno nostrorum; fuga ignominiosa consulens sibi, clypeum abicit, arma deponit, & nostris vexillum imperiale dimittit, nobilemque quam sibi præferri faciebat iconam, quam ordini Cisterciensi nostri dedicaverit victores. Iterato navigium nostrum flammis aggreditur, intempestaque noctis silentio sexdecim suas naves incensas velis in altum expansis & inferius colligatis ad portam, flante fortiter austro, nostras mittit in naves; sed Domino faciente, cum multo labore nostrorum custodum indemnes, & ardentibus navibus clavis infixis cætenis hærentibus, nostrorum remigio trahuntur in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Nos igitur terrestrem eum provocamus ad pugnam, & ponte atque amne transmissio, qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portam diu stetitimus regie civitatis & palatii imperialis quod Blacherna nuncupatur, in nomine Domini Israël agmina præcedente cruce vivifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quandam nostri pedites trucidant. Sic in castra reversi, terra marique sæpius provocamur; sed, dante Domino, semper ac triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis fidei legatos perfidus incubator imperij, postulat & obtinet cum Duce colloquium. Cùmque eidem Dux magnanimus objecisset quòd nulla cum eo pacis posset esse securitas qui dominum suum carcere conclusisset postposita jurisjurandi religione & fidei ac fœderis inter quantumlibet infideles firmiter obtinentis, & ipsi præcipuisset imperium; eidemque bona fide consuleret ut dominum suum restitueret & humiliter veniam postularer, novas etiam pro se promitteret preces, & quòd cum eodem domino suo, si vellet, agere misericorditer deberemus ac quicquid contra nos egerat venenosè, si redire ad animum, imputare vellemus ætatis lapsui, non consilio, ille vana verba subintulit, quiaque responderet non habebat. Obedientiam autem Romanæ Ecclesiæ & subventionem terræ sanctæ, quam juramento & scripto imperiali firmaverat Alexius, adeo refutavit ut vitam amittere præeligeret Græciamque subverti quam quòd Latinis Pontificibus orientalis Ecclesia subderetur. Nocte igitur insequenti Dominum suum latenter suffocavit in carcere, cum quo ipsa die prandium sumperat, similis Iudæ; & clava ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit, casuque vitam, quam laqueo extorserat, confringit ereptam, ac imperiali sepultura concessa, propalatum omnibus sceus funeris honore dissimulat. Sicque nobis hiems tota perficitur, donec in navibus nostris scalis apertis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in navibus, quinto Idus Aprilis, hoc est, feria sexta ante passionem Domini, una-

nimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ & subventionem terræ sanctæ navali prælio invadimus civitatem, & eadem die, sine multo tamen nostrorum sanguine, fuimus tanta perpeffi ut inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars fuit per cuncta superior, adeo ut tracta in terram Græcis compelleremur bellica nostra machinamenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogermur adversam, ea die, ut videbatur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimum & conterriti, sed demum in Domino roborati, definito consilio rursus instauramur ad pugnam, & quarto die, secundo Idus Aprilis, hoc est, feria secunda post passionem Domini, flante Borea, rursus applicamur ad muros, scalas navium scalis turrium applicantes cum multo labore nostrorum, permultum resistentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, non diu anceps belli duravit eventus. Duæ siquidem naves pariter colligatæ, quæ nostros Episcopos, Succionensem videlicet ac Trecentem, deferrebant, quarum erant insignia Paradisus & Peregrina, prima scalis suis scalas turrium attingerunt, & felici auspicio peregrinos pro Paradiso certantes hostibus admovent. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cælestium secretorum prima conceditur de celo victoria. Irruentibus igitur nostris, procedit Domino jubente multitudo infinita pro paucis; & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audacter militibus portas aperiunt; quorum cum Imperator, qui non procul à muris in tentoriis stabat armatus, conspicaretur ingressum, statim tentoria relinquit & fugit. Nostri cædibus occupantur, civitas capitur populosa, recipiuntur in palatiis imperialibus qui nostrorum enses effugiunt; multaque cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt advesperascente jam die; arma fessi deponunt, de assultu palatiorum in crastinum tractaturi. Suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens quòd nostros in potestate nunc habeat intra murorum septa conclusos. Sed nocte latenter dat terga devictus. Quo comperto Græcorum plebs attonita, de substituendo Imperatore pertractat. Et dum manè factò ad nominationem cujusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione majori ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima palatia relinquuntur, totaque in momento civitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo. Auri & argenti, sericorum pretiosarumque vestium, atque gemmarum, & omnium eorum quæ ab hominibus inter divitias computantur tam inestimabilis abundantia reperitur ut tantum tota non videatur possidere Latinitas. Et quia admodum pauca negaverant, cuncta nobis divino judicio reliquerunt, ut securè dicamus quia majora his mirabilia circa bellicorum casus nulla unquam narret historia, ut impleta prophetia manifestè videatur in nobis quæ dicit: *Persequitur unus ex nobis centum alienos*; quoniam si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quam centum & obsedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam usurpamus, quia salvavit sibi dextera Domini, & brachium virtutis ejus revelatum est in nobis. A Domino tantum factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Or-

dinatis igitur diligenter quæ disponenda rerum  
poscebat eventus, ad electionem Imperatoris  
unanimitè & devotè procedimus, & ambitione  
seclusa, cum sex Baronibus Venerorum venerabi-  
les viros Episcopos nostros Sueffionensem, Hal-  
berstatisensem, Trecentensem, Dominumque Bethle-  
hemitanum, qui à partibus transmarinis auctori-  
tate apostolica nobis fuerat delegatus, Aconen-  
sem electum, Abbatemque Lucidij, Imperatoris  
nostri sub Domino constituimus electores. Qui  
oratione præmissa, ut decuit, dominica, misericor-  
dia Domini personam nostram, quod à nostris me-  
ritis procul erat, unanimiter ac solemniter elegerunt,  
divinis laudibus clero & populo pariter ac-  
clamante. Sequenti Dominica, qua *subilate* can-  
tatur, præcipiente Apostolo Petro Regem honori-  
ficari eique obediri tamquam præcellenti, & evan-  
gelio nuntiantè quòd gaudium nostrum nemo tol-  
let à nobis, cum ingenti honore atque tripudio,  
more etiam suo applaudentibus Græcis, ad hono-  
rem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subven-  
tionem terræ sanctæ, gloriosè coronatum ad impe-  
rij fastigia Deo & hominibus amabiles patres me-  
morati Pontifices cum univerforum applausu &  
piis lacrymis sublimarunt. Aderant incolæ terræ  
sanctæ, ecclesiasticæ militaresque personæ, quo-  
rum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabun-  
da læticia; exhibitumque Deo gratius obsequium  
asserebant quàm si civitas sancta Christianis culti-  
bus restituta, cum ad confusionem perpetuam ini-  
micorum crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ terræ-  
que Hierosolymitanæ sese regia civitas devoverit,  
quæ tandiù tam potenter adversaria stetit, & con-  
tradixit utrique. Hæc est enim quæ spurcissimo  
gentium ritu pro \* *superna* societate, sanguinibus  
alternis ebibitis, cum infidelibus ausa est sæpius  
amicitias firmare ferales, & eosdem mamilla diù  
lactavit uberrima, & extulit in superbiam seculo-  
rum, arma, naves, & victualia ministrando. Quid  
è contrario fecerit peregrinis, magis edocere suf-  
ficiunt in omni Latinorum gente exempla quàm  
verba. Hæc est quæ in odium apostolici culminis  
Apostolorum principis nomen audire vix poterat,  
nec unam eidem inter Græcos Ecclesiam concede-  
bat qui omnium Ecclesiarum accepit ab ipso Do-  
mino principatum. \* Hæc est quæ Christum solis  
didicerat honorare picturis, & inter ritus nefandos,  
quos sibi sprete scripturarum auctoritate  
confinerat, & lavacri salutaris plerunque facere  
præsumebat iterando jacturam. Hæc est quæ La-  
tinos omnes non hominum nomine dignabatur,  
sed canum; quorum sanguinem effundere penè in-  
ter merita reputabant, nec ulla penitentia satis-  
factione pensabant laici monachi, penes quos,  
sacerdotibus \* *spretis*, tota ligandi atque solven-  
di consistebat auctoritas. Hæc & ejusmodi deli-  
ramenta, quæ epistolæ explicare non valet angustia,  
impletis iniquitatibus eorum, quæ ipsum  
Dominum ad nauseam provocabant, divina justi-  
tia nostro ministerio digna ultione percussit, &  
expulsi hominibus Deum odientibus & amanti-  
bus sese, terram nobis dedit omnium bonorum  
copiis affluentem, frumento, vino, & oleo stabili-  
tam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis, &  
pascuis speciosam, spatiosissimam ad manendum,  
& cui similem non continet orbis, aère tempera-  
tam. Sed nec in his desideria nostra subsistunt,

nec ab humeris nostris sustinebimus signum regale  
deponi donec terra ipsa incolatu stabilita nos-  
trorum, partes debeamus invisere transmarinas,  
& Deo dante propositum peregrinationis explere.  
Speramus enim in Domino Iesu quòd qui cepit  
in nobis opus bonum ad laudem & gloriam nomi-  
nis sui, inimicorum crucis depressionem perpe-  
tuam perficiet, confirmabit, solidabitque. Pater-  
nitatem igitur vestram propensè exoramus &  
obsecramus in Domino ut gloriæ hujus atque vic-  
torie & spei præoptatæ, cujus ostium nobis mag-  
num apertum est, principes esse velitis & duces,  
vestrisque temporibus & operibus adscribatis de-  
cus hoc. Quod absque ulla nobis dubitatione con-  
tinget, si apostolicæ sanctitati devotos nostri præ-  
cipuè incolas occidentis, nobiles & ignobiles, cu-  
jussubet conditionis aut sexus, eisdem desideriis  
accensos, ad veras immensaque divitias capessen-  
das, temporales pariter & æternas, salutaribus  
monitis accendatis, proposita venientibus omni-  
bus apostolicæ indulgentia nobis & imperio nostro  
aut temporaliter aut perpetuò fideliter servituris.  
Univerfis enim dare sufficimus quos nobis Chris-  
tianæ religionis zelus adduxerit, universos volumus  
simul & possumus secundum status suos varia-  
rietatemque natalium & augere divitiis & hono-  
ribus ampliari. Specialiter autem Deo amabiles  
ecclesiasticos viros, cujussubet religionis aut ritus,  
solicitude vestra paterna potenter inducat ut ad  
idem populum prædicationibus publicis & poten-  
tibus verbis accendant, & exemplis edoceant,  
catervatimque & ipsi venire festinent in locis  
amoenissimis & uberrimis, non tamen in sanguine,  
sed in multa libertate & pace omniumque bono-  
rum affluentia Ecclesiam plantaturi, salva sem-  
per, ut decet, suorum canonica licentia Prælatorum.  
Ad laudem etiam Redemptoris & sanctita-  
tis vestræ perpetuum decus utilitatemque præci-  
puam generalis Ecclesiæ pertinere credendum nul-  
lus ambigeret, si in civitate Constantinopolitana  
veteribus honorata Conciliis vestra paternitas ge-  
nerale Concilium convocaret, beatissimæ perso-  
næ vestræ præsentia confirmandum, novamque  
Romam veteri cunctis sanctionibus factis ac  
perpetuò valitatis. Iam enim ad Concilium Græ-  
ciam rebellem vos invitasse didicimus, quasi quæ  
nunc videtis ipsa præsignando; licet sive pro re-  
bellione Græcorum, sive pro utilitatibus mundi  
& variis occupationibus interim videamini distul-  
lisse. Ecce nunc tempus acceptabile, Pater sancte,  
ecce nunc dies salutis. Cogitasse videtur Dominus  
cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestro-  
rum vestros posuit inimicos. Canite, quæsumus,  
tuba sacerdotali in Sion, amantissime Pater; vo-  
cate cœtum, congregate populum, coadunate  
senes & sugentes ubera; sanctificate diem accepta-  
bilem Domino, diem stabiliendæ unitatis & pa-  
cis, & quam ad Dominum custodimus nostræ for-  
titudinis confirmandæ. Quantumlibet enim suffi-  
cientes simus ex nobis, sperare audemus in Do-  
mino quòd gaudium Domini sit fortitudo nostra  
ad evacuandum scandalum crucis & subiciendam in  
terris omnem adversariam potestatem erigentem  
se adversus Dominum & adversus Christum ejus.  
Recordamini, Pater sancte, cathedræ vestræ sês-  
sorum, quorum in celo gaudent animæ & in ter-  
ris vivit gloriola memoria, Iohannis, Agapiti, &

\* Cod. reg. &  
Arnold. Lubec.  
siatetna

\* Hæc quædam  
alia interseruntur  
apud Arnold. Lu-  
bec.

\* Arnold. summo-  
tis. Cod. reg. sum-  
tis. Ped. præcipitis

Leonis, seu aliorum, qui ex variis causis Constantinopolitanam leguntur Ecclesiam præsentia-  
liter visitasse, sicut in apostolicis continetur archi-  
vibus; & inveniatis manifestè, si nos qui asserunt  
se legisse non fallunt, quòd pro causis longè mi-  
noribus eorum quilibet adventarit. Si quid ex ar-  
denti desiderio ultra quàm decet ingerimus, ex  
benignitate consueta, reverende Pater, ignoscite,  
affectumque nostrum apicemque negotij ulterius  
& potiùs quàm verba spectate. Illud autem silere  
nulla ratione \*valemus, quòd reverendi Pontifi-  
ces & Abbates nostri & inferioris status venerabi-  
lis clerus tam magnificè ac decenter, tam honestè  
inter nos se habuit ac prudenter, & armis Deo  
potentibus tam constanter & triumphaliter dimi-  
cavit ut coronam \*gloriae de manu Domini merito  
debeat expectare, & eorum in perpetuum esse me-  
ruerit in benedictione memoria, & ne quid eis in  
nulla gratia desit, apostolici favoris & gratiæ cu-  
mulum pro tam bene meritis evidentius reporta-  
re. Illustrem virum H. Dandulum Ducem Veneto-  
rum, dilectum nobis ac merito diligendum,  
cum amicis ac sociis nostris Venetis, quos fideles  
ac industrios per cuncta repetimus, paternitati  
vestrae pro sua probitatis merito plurimum com-  
mendamus.

X CII. Verùm antequam Franci & Veneti ad  
capiendam Constantinopolim processissent, tales  
interiunt ad invicem pactiones.

In nomine Dei aeterni. Amen. Nos quidem Bo-  
nifacius Montisferrati Marchio, & Balduinus  
Flandriæ & Hainovix, L. Blesensis & Clarimontis,  
H. sancti Pauli Comites, pro parte nostra  
vobiscum, vir inclite Domine H. Dandule, Ve-  
netiæ, Dalmatiæ, atque Crovaciæ Dux, & cum  
parte vestra, ad hoc ut unitas & firma inter nos  
possit esse concordia, & ad omnem materiam scan-  
dali evitandam, ipso cooperante qui est pax nos-  
tra & fecit utraque unum, ad eius laudem & glo-  
riam talem duximus ordinem observandum, utra-  
que parte juramento astricta. In primis omnium  
armata manu, Christi invocato nomine, civita-  
tem expugnare debemus; & si divina auxiliante  
potentia civitatem intraverimus, sub eorum regi-  
mine debemus manere & ire qui fuerint super  
exercitum prælecti, & eos sequi secundum quòd  
fuerit ordinatum; totumque avere quòd in civi-  
tate inventum fuerit à quolibet, duci debet & po-  
ni in commune, & loco quo fuerit ordinatum;  
de quo tamen avere nobis & hominibus Veneto-  
rum tres partes debent solvi pro illo avere quòd  
Alexius quondam Imperator nobis & vobis sol-  
vere tenebatur. Quartam verò partem nobis re-  
tinere debemus, donec fuerimus in ipsa solutio-  
ne coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit,  
debemus per medietatem inter nos & vos divide-  
re donec fueritis apagati. Si verò minus fuerit,  
ita quòd non possit sufficere ad memoratum debi-  
tum persolvendum, undecunque fuerit prius ave-  
re acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem ob-  
servare. Salvis tamen victualibus, quæ debent  
observari & dividi tam vestris quàm nostris æqua-  
liter, ita quòd utraque pars possit inde congruè  
sustentari. Quòd autem residuum fuerit, partiri  
debet in alio avere juxta ordinem præminatum.  
Vos etiam & homines Venetorum liberè & abso-  
lutè absque omni controversia per totum impe-

rium habere debetis omnes honorificentias & pos-  
siones quas quondam consuevistis habere tam  
in spiritualibus quàm in temporalibus, omnèsque  
rationes sive consuetudines quæ sunt in scripto &  
sine scripto. Debent etiam sex homines eligi pro  
parte nostra, & sex pro vestra, qui juramento ad-  
stricti eam personam eligere debent de exercitu  
quam credent meliùs scire & meliùs posse tene-  
re & meliùs scire ordinare terram & imperium ad  
honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & im-  
perij; & si fuerint in uno concordēs, illum debe-  
mus Imperatorem habere quem ipsi concorditer  
elegerint. Si verò sex in una parte, & sex in alia  
concordaverint, fors mitti debet; & super quem  
fors ceciderit, debemus pro Imperatore habere,  
Et si plures consenserint in una parte quàm in alia,  
illum Imperatorem habebimus in quem major pars  
consenserit. Si verò plures partes fuerint quàm  
duæ, super quo major pars ordinaverit sit Impera-  
tor. Debet verò iste Imperator habere univer-  
sam quartam partem acquisiti imperij, & palatium  
Blachernæ, & Buccam Leonis. Reliquæ verò tres  
partes per medietatem inter vos & nos dividen-  
tur. Sciendum est quòd clerici qui de parte illa  
fuerint de qua non fuerit Imperator electus, po-  
testatem habebunt Ecclesiam sanctæ Sophiæ ordi-  
nandi & Patriarcham eligendi ad honorem Dei &  
sanctæ Romanæ Ecclesiæ & imperij. Clerici verò  
utriusque partis illas Ecclesias ordinare debent  
quæ suæ parti contingent. De possessionibus ve-  
rò Ecclesiarum tot & tantum Clericis & Ecclesiis  
debent provideri quot honorificè possint vivere  
& sustentari. Reliquæ verò possessiones Ecclesia-  
rum dividi & partiri debent secundum ordinem  
præsignatum. Insuper etiam jurandum est tam ex  
nostra parte quàm ex vestra quòd ab ultimo die  
instantis mensis Martij morari debemus usque ad  
annum expletum ad imperium & Imperatorem  
manutendum ad honorem Dei & sanctæ Roma-  
næ Ecclesiæ & imperij; inde verò in antea omnes  
qui in imperio remanserint, ipsi Imperatori strin-  
gi debent juramento secundum bonam & ratio-  
nabilem consuetudinem; & illi qui tunc in impe-  
rio remanserint, ut prædictum est, jurare debent  
quòd firmas & stabiles pactiones quæ factæ fue-  
runt habebunt. Est autem sciendum quòd à nos-  
tra & vestra parte duodecim homines vel plures  
pro parte eligi debent, qui juramento adstricti  
feuda & possessiones & honorificentias inter ho-  
mines distribuere debent, & servitia assignare  
quæ ipsi homines Imperatori & imperio facere de-  
bent, secundum quòd illis bonum videbitur &  
conveniens apparebit. Feudum verò quòd unicui-  
que assignatum fuerit, liberè & absolutè posside-  
re debent de herede in heredem tam in masculo  
quàm in femina, & plenam habeant potestatem  
ad faciendum inde quicquid suæ fuerit voluntatis,  
salvo tamen jure & servitio Imperatoris &  
imperij. Imperator verò reliqua servitia facere  
debet quæ fuerint facienda, præter ea quæ ipsi fa-  
cient qui feuda & honorificentias possidebunt se-  
cundum ordinem sibi injunctum. Statutum est  
etiam quòd nemo hominum alicujus gentis quæ  
communem guerram \*nobiscum, & successoribus  
nostris vel populo Venetorum habuerit, recipia-  
tur in imperio donec guerra illa pacificata fuerit.  
Teneatur etiam utraque pars ad dandam operam

\*Cod. reg. & Pad.  
debemus

\*Cod. reg. & Pad.  
victoria

\*Cod. reg. & Pad.  
vobiscum, & successoribus  
vestris



bona fide ut hoc à Domino Papa valeat impetrari, ut si aliquis contra hanc institutionem intentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper Imperator jurare debet quòd firmas & stabiles partitiones & dationes quæ factæ fuerint irrevocabiles habeat secundum ordinationem superius dictam. Si verò aliquid in istis omnibus erit addendum vel minuendum, in potestate & discretione vestra & vestrorum sex Consiliatorum & Domini Marchionis & ejus sex Consiliatorum consistat. Sciendum est etiam quòd vos, præfate Domine Dux, nec debetis Imperatori qui fuerit electus, vel imperio, ad aliqua servitia facienda juramentum præstare propter aliquod datum vel feudum vel honorificentiam quæ vobis debeat assignari: tantum illi vel ille quem vel quos loco vestro statueritis super iis quæ vobis fuerint assignata, debeant juramenta præstare ad omne servitium Imperatori & imperio faciendum juxta ordinem superius declaratum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quarto, mense Martij, Indictione septima.

X C III. Attendens ergo Dominus Innocentius quòd in pactionibus illis multa continebantur illicita, præsertim ea quæ contingebant statum Ecclesiarum & Clericorum, & quòd in captione Constantinopolis multa fuerant scelera perpetrata, quòdque cruce signati prohibuit fuerant terras Christianorum offendere nisi forsan eorum nequitia iter impediretur, nec videbatur ad excusationem illorum sufficere quòd propterea licuerit eis Græcos offendere quoniam ipsi ab obedientia sedis apostolicæ sese subtraxerant & noluerant succurrere terræ sanctæ, licet super utroque fuerint ab eodem Domino Papa communiti, & Alexius Imperator nequiter incubaret imperio quod iniquè abstulerat fratri suo, cum super his nullam desuper ulciscendi acceperint potestatem, cepit vehementissimè dubitare quid in tanto negotio sibi foret agendum. Sed habito diligenti tractatu, non solum cum Cardinalibus, verum etiam cum Archiepiscopis & Episcopis & aliis viris prudentibus, quorum tunc de diversis partibus magna erat apud sedem apostolicam multitudo, nobili vero Marchioni Montisferati super hoc sedem apostolicam consulenti de communi consilio rescripsit hoc modo.

Quòd inter curas & occupationes mundanas, non solum multiplices, sed ingentes, de salute animæ tuæ sollicitus & studiosus existis, prudentiam & devotionem tuam in Domino commendamus. Quid enim prodest homini si univèrsam mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Insuper non redimet homo, nec dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Laborabit in æternum, & vivet in finem. Recepinus namque litteras tuas per dilectum filium Soffredum tituli sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem nostro apostolatu præsentatas, quibus nobis insinuare curasti quòd corde contrito & spiritu humiliato ad apostolicæ communitiois mandatum spe indulgentiæ generalis inductus, votum crucis solemniter emisisti, & ad id fideliter prosequendum intendisti semper animo incorrupto. Quòd autem illius adolescentis suscepisti ducatum qui fatebatur Constantinopolitanum imperium sibi de jure deberi, consilium

fuit dilecti filij Petri tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis apostolicæ sedis Legati, nec tam humanum consilium quàm necessitas importuna, quòd post Iadertinenis civitatis excidium ad requirenda victualia in Romaniam exercitus declinaret. Verum tu & alij cruce signati facientes de necessitate virtutem, intendistis in ipsa principaliter procurare ut apostolicæ sedi gratiam impenderetis obsequium, & expectatum nihilominus terræ sanctæ succursum, quod ad plenum consummasse putastis, cum sine sanguinis effusione regia urbe capta, & occupatore imperij effugato, restituisque in ipsa patre simul ac filio ad fastigium imperatoris dignitatis, fecistis ipsos non obedientiæ filij redirent ad obedientiam matris suæ tam debitam quàm devotam, & orientalis Ecclesiæ tanquam principale membrum suo capiti uniretur. Quod ut melius & plenius fieri posset, apostolicæ sedis consilium, sine quo perit penitus opera & impensa, suspensi hæcenus expectastis, & adhuc continuis desiderijs expectatis. Quia verò signum crucis, prout asseris, suscepisti ad delendum tuæ maculas juventutis, & quicquid apostolicæ labis à retroactis temporibus fragilitas humana contraxerat \* exterminandum, non ut gravius & licentius sub umbra religionis & crucis vexillo peccares, & ad examinationis nostræ calculum singula referens, in omnibus & per omnia te nostris exponere consiliis & mandatis, ita ut si Romanicæ statum & tui moram in ea noverimus apostolicæ sedi & terræ promissionis efficaciter expedire, tæque per hoc remissionem accipere peccatorum, non abnuis pericula vel labores; alioquin non habito respectu ad possessiones & honorificentias quas obtines affluenter, illud tibi potiùs injungamus per quod abundantius merearis iram supremi judicis declinare. Sanè per ea quæ superius sunt descripta tacitis videris objectionibus respondere quæ contra cruce signatos possunt taliter intorqueri. Cum enim vos devoveritis in obsequium crucifixi ad liberandum terram sanctam de manibus paganorum, & sub excommunicationis interminatione fuerit vobis inhibendum ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis nisi forsitan iter vestrum ipsi nequiter impedirent, aut alia justa & necessaria causa vobis occurreret propter quam, interveniente Legati nostri consilio, aliud agere valeretis, vos nullam in Græcos jurisdictionem aut potestatem habentes, à puritate voti vestri temerè declinasse videmini, dum non contra Sarracenos, sed contra Christianos arma movistis, non intendentes ad recuperandam Hierusalem, sed Constantinopolim occupandam, terrenas opes cælestibus divitiis præferendo.

Illudque

\* Cod. reg. & Fed. Frazer non redimet, sed met homo, non

\* Idem Cod. Sincero

\* Cod. reg. eliminandum

Illudque longè gravius reputatur quòd quidam nec religioni nec aetati nec sexui pepercuerunt, sed fornicationes, adulteria, & incestus in oculis omnium exercentes, non solum maritalitas & viduas, sed & matronas & virgines Deoque dicatas exposuerunt spurcitiis garcionum. Nec imperiales suffecit divitias exhaurire ac diripere spolia majorum pariter & minorum, nisi ad Ecclesiarum thesauros & quod gravius est, ad ipsarum possessiones extenderet manus vestras, tabulas argenteas de altaribus rapientes, & violatis sacrariis, cruces, iconas, & reliquias asportantes, ut Græcorum Ecclesia, quantumcunque persecutionibus affligatur, ad obedientiam apostolicæ sedis redire contemnat, quæ in Latinis nonnisi prodicionis exempla & opera tenebrarum apexit, ut meritò illos abhorreat plusquam canes. Tu verò contra jurisdictionem & potestatem indebitam vel potius usurpata, apostolicæ sedis Legati consilium allegasti, tanquam ex eo vobis liceret cum præfato adolescente ad restituendam sibi Constantinopolitanum imperium proficisci; quamvis & id potueris allegare, quòd cum vos victualium defectus urgeret, sine quibus non poteratis votum crucis implere, licuerit vobis propter causam adeo necessariam operas vestras illi locare qui justam causam prosequi videbatur; præsertim cum per hoc intenditis finaliter ad terræ sanctæ succursum & apostolicæ sedis augmentum. Cùmque pollicitam vobis & debitam negaverint illi mercedem, juramentis & pactis penitus violatis, quin etiam armis, igne, dolo, & toxico vos sæpiùs attentaverint, tanquam in arcto positi, \* coacti fuistis ut contra schismaticos & perjuros debita vobis injustè negantes exerceretis debitam ultionem. Divinum enim videtur fuisse iudicium ut qui tamdiu misericorditer tolerati, & totiens non solum ab aliis, sed etiam a nobis studiosè commoniti, noluerunt redire ad Ecclesiæ unitatem nec ullum terræ sanctæ subsidium impetiri, per eos qui ad utrumque pariter intendebant amitterent locum & gentem; quatenus perditis malè malis, terra bonis agricolis locaretur, qui fructum reddant temporibus opportunis, quemadmodum legitur in Daniele Propheta: *Est Deus in celo qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna. Ipse dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit illud.* Vulgaris verò tenet sententia quòd jura regnorum semper violenta fuerunt. Quia verò judicia Dei nonnunquam adeo sunt occulta ut à Propheta dicantur abyssus multa, ita ut Apostolus clamare cogatur, *O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles via ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarium ejus fuit?* nos de tam profundo iudicio nolentes temerè judicare, præsertim antequam de veritate negotij plenius instruamur, cum & illi potuerint justè puniri propter peccatum quod commiserunt in Deum, & vos nihilominus injustè punire propter odium quod exercebatis in proximos, si tamen proximi sunt dicendi qui proximate contemnunt, cum etiam propter justam illorum penam forsitan Dominus justam vobis mercedem dederit, juxta quod dixisse legitur in Propheta, *Quia servisti mihi in Tyro, dabo tibi Aegyptum*, unde Assur virgam furoris sui appellat, illud omisissis dubiis tibi pro certo duxi-

Tom. I.

mus respondendum, in uno pariter & eodem tam terræ sanctæ quam apostolicæ sedi necnon animæ tuæ salubriter consulentes, ut sub timore Domini & spe veniæ terram divino iudicio acquisitam teneas & defendas, & tenendam ac defendendam acquiras, populos tibi subjectos in justitia regens, sub pace conservans, & religioni conformans; ita ut ecclesiastica bona restituas, secundum propriam facultatem penitens & satisfaciens de commissis, cum hujusmodi res vix geri potuerit sine piaculari reatu; quoniam qui tangit picem, coinquinabitur ab ea; firmumque geras in voto propositum ut ad terræ sanctæ succursum, cui te specialiter & principaliter devovisti, prudenter & potenter intendas, cum per hanc terram illa de facili recuperanda speretur. Ad hæc, cum ad exempla patrum & fratrum tuorum, qui sacrosanctam Romanam Ecclesiam de corde puro & conscientia bona & fide non ficta revereri semper ac venerari per omnia studuerunt, tu nobis & apostolicæ sedi fidelis & devotus existas, de plenitudine gratiæ nostræ te reddimus omnino securum, sciturus pro certo quòd ea cupimus operari quotiens se obtulerit opportunitas quæ ad honorem & profectum tuum debeant magnificè redundare. Datum &c.

XCIV. Quia verò per Constantinopolitani imperij detentionem, quod divino iudicio sibi subjugare Latini, Hierosolymitana provincia sperabatur facillè liberari de manibus paganorum, ex tunc firmato proposito Dominus Papa cœpit ad eorum succursum qui Constantinopoli morabantur intendere diligenter, scribens pro illis Archiepiscopis & Episcopis in hunc modum.

Vir unus de Ramatha duas sibi copulavit uxores, Annam videlicet & Phenemam; sed quæ priùs fuit prolis gloria decorata, quoniam superbit ubi altera cœpit de fecunditate sobolis in Domino exultare, meruit infamari, sicut ipsius canticum manifestat. Ea siquidem quæ sub umbra legis historialiter accidisse leguntur, cum secundum Apostolum omnia illis contingerent in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei tempore gratiæ revelari, ut à Moyse facie sublato velamine, per evangelicæ doctrinæ fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aëris elucescat, & significans appareat evidenter. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus, unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ, duas convocans ad se gentes, Græcum videlicet populum & Latinum, ipsos sibi conjunxit per fidei sacramenta. Sed alter eorum, videlicet Græcus, qui septeno Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus & earum angelis mentionem facit in Apocalypsi Iohannes, ubi Latinorum Ecclesiæ vidit funiculos dilatari, quasi stimulis invidiae agitatus ab \* unitate discessit, non attendens quòd cum sponsus præmisisset in canticis, *Sexaginta sunt Reginae & octoginta concubinae, & adolescentularum non est numerus*, statim adjunxit: *Vna est columba mea, perfecta mea; una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filia Sion, & beatissimam prædicaverunt, Regine & concubinae laudaverunt eam. Nam multe filiae congregaverunt divitias; hæc autem supergressa est universis.* Postquam autem Græcorum populus rupto vinculo pacis ab unitate discessit, elanguit etiam circa fidem, tenuens confiteri quòd spiritus sanctus, qui est unitatis & qualitatisque connexio,

h

Vide infra pag. 59. col. 11

\* Cod. reg. &amp; Ped. 1241

\* Cod. Ped. 1 versitate

procedat à filio sicut à patre procedit. Quia igitur circa processionem spiritus sancti profiteri renuit veritatem, merito tenebras mentis incurrit, cum ipse spiritus omnem doceat veritatem, sicut filius in evangelio protestatur. Spirituali enim intellectu privatus, quia peccavit in spiritum, fermentum non eiecit à domo, ut epularetur in azymis sinceritatis & veritatis; sed veteri fermento retento, corpus Christi, quantum in ipso est, comedit fermentatum. Benedictus autem Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; qui suam volens Ecclesiam consolari, ut Ephraim convertatur ad Iudam, & ad Hierusalem Samaria revertatur, super eundem populum quasi montem caliginosum signum dignatus est mirabiliter elevare, ac ejus portas sanctificati Deo sunt ingressi, Græcorum imperium à superbis ad humiles, à superstitionis ad religiosos, à schismaticis ad catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cum enim Christianus exercitus illuc cum Alexio Isachij advenisset, & capta urbe Constantinopoli idem fuisset Alexius coronatus, ductus exercitus ibidem proposuit hiemare. Sed quid novus Imperator pro beneficiis sibi ab eodem collatis retribuere studuerit, longum esset præsentis pagina enarrare. Verum ut multa brevius perstringamus, eorum malitia, quasi Amorrhæorum iniquitate completa, dextera Domini fecit virtutem, & exaltavit exercitum Christianum, illos digna ultione percutiens, ac eorum terram auro vel argento gemmisque refertam, frumento, vino, & oleo stabilitam & bonorum omnium copiis affluentem, exercitui tribuens memorato. Expulsis igitur de Constantinopoli Græcis, & eorum terra pariter subjugata, carissimum in Christo filium nostrum Balduinum Comitem Flandriæ & Hainoviæ ad imperij regimen voluntate communi & unanimi sublimarunt; ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro prædictum: *Subiciam, inquit, ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam. Aperiam coram eo januas, & porta non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosus terra humiliabo. Portas æreas conteram, vestes ferreas confringam, & dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum.* Hic igitur mirabiliter sublimatus nobis humiliter supplicavit ut apostolicæ sedis devotos clericos simul ac laicos, nobiles & ignobiles, cujuslibet conditionis & sexus, apostolicis dignaremur exhortationibus invitare ut ad ipsius accedant imperium, ab eo secundum qualitates & merita gratas divitias recepturi. Attendentes igitur quod mutatio hujus imperij dextera mutatio sit excelsi, & ab eo factum sit istud qui tempora mutat & transfert regna, cum per illud terræ sanctæ possit utilis subveniri, quin potius cum per illud ista credatur posse recuperari de levi, fraternitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus tam clericos quam laicos efficaciter inducatis ut ad capeffendas spirituales pariter & temporales divitias ad præfatum Imperatorem accedant, qui, ut ejus verbis utamur, cum sufficiat universis quos ad eum Christianæ religionis zelus adduxerit, singulos vult & potest secundum status suos varietatemque natalium & augere divitiis & honoribus ampliare; ut Constantinopolitano imperio robo-

rato, & in devotione apostolicæ sedis ibidem Ecclesia stabilita, idem Imperator ad expugnandas barbaras nationes, quæ terram in qua Deus noster Rex ante secula nostram dignatus est operari salutem, peccatis exigentibus detinent occupatam, manu forti & brachio extento valeat properare; sperantes in Domino Iesu Christo quod ipse qui per eum jam cepit mirabiliter operari, opus inceptum ad laudem & gloriam nominis sui mirabilius consummabit. Nos igitur his qui accedentes ad ipsum in terræ sanctæ subsidium laboraverint, illam concedimus indulgentiam peccatorum quam aliis successignatis apostolica sedes indulget.

XCV. Præfatus autem Balduinus Comes Flandriæ postquam ad Constantinopolitanum imperium extitit sublimatus, per nuntios & apices suos vocavit ad se præfatum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem, apostolicæ sedis Legatum in Hierosolymitana provincia existentem, ut accedens in Græciam de personis & rebus ecclesiasticis auctoritate apostolica ordinaret. Porro cum sæpèdictus Soffredus tituli sanctæ Præcedis Presbyter Cardinalis, similiter apostolicæ sedis Legatus, nollet ibi remanere post illum, ambo pariter recedentes Constantinopolim accesserunt, facta prius sex annorum treuga cum Sarracenis; & tanta eos secuta est multitudo, non solum laicorum, sed etiam clericorum, quod alienigenæ penè omnes & indigenæ multi Hierosolymitanam provinciam deferentes, Constantinopolim adierunt. Sed præfatus Soffredus modicam faciens ibi moram, per Thessalonicam, ubi cum Marchione Montisferrati est aliquandiu commoratus, ad sedem apostolicam est reverfus. Qualiter autem Dominus Papa scripserit super his & aliis præfatus Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali apud Constantinopolim existenti ejus litteræ manifestant, quarum tenor est talis.

Audito jam pridem quod tu & dilectus filius noster Soffredus tituli sanctæ Præcedis Presbyter Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, relicta in multæ necessitatis \* articulo Hierosolymitana provincia, Constantinopolim navigio veneratis, mirati sumus non modicum & turbati, eidem terræ imminens periculum formidantes. Et ecce quod verebamur accidit, & quod timebamus jam evenit. Nam præter id quod bonæ memoriæ Patriarcha Hierosolymitano tunc temporis viam universæ carnis ingresso, Ecclesia Hierosolymitana vacabat, & ex guerra quæ tunc inter carissimum in Christo filium nostrum Regem Armeniorum illustrem & Tripolitanum Comitem super principatum Antiochenum vertitur, inter Christianos æmulatio quædam erat, postmodum ex inclytæ recordationis A. Regis Hierosolymitanorum & filij ejus obitu improviso regnum Hierosolymitanum penè penitus omni est regimine destitutum. Et quia vos, qui debueratis ibidem majus expectare subsidium & ad succurrendum eidem terræ tam exemplo quam verbo alios invitare, pro vestræ voluntatis arbitrio exinde in Græciam navigastis, non solum peregrini, sed indigenæ terræ sanctæ, vestris vestigiis in hærentes, Constantinopolim deveniunt, venerabili fratre nostro Archiepiscopo Tyrensi vos pariter subsecuto. Remansit ergo terra illa, recedentibus vobis, viris & viribus destituta, & facta sunt novissima ejus horum occasione pe-

\* Cod. Pels.  
periculo

jora prioribus, cum omnes amici ejus illam vobiscum reliquerint, nec sit qui confoletur eam ex omnibus caris ejus. Vnde facti videntur hostes ejus in capite, si scelus treugarum voluerint violare, quod etiam à quibusdam dicitur Rege ac filio ejus expirantibus expirasse. Turbamur igitur intra nos ipsos non modicum, & contra vos merito commovemur, quòd in hoc consilium devenistis ut simul relinqueretis eam quam Dominus sua presentia consecravit, & in qua nostræ redemptionis mysterium Rex noster ante secula novissimis temporibus est mirabiliter operatus. Quamvis sanè venerabilis frater noster quondam Episcopus Vercellensis in Patriarcham Hierosolymitanum fuerit postulatus, & nos postulationem approbantes ejusdem, jam ei palleum duxerimus concedendum, propter occupationes tamen multiplices non tam citò forsitan poterit transfretare. Debuerat ergo causam vestræ legationis attendere ac sollicitè cogitare quòd non ad capiendum Constantinopolitanum imperium, sed defendendas reliquias terræ sanctæ, ac perditas, si daret Dominus, restauranda vos duxerimus delegandos, mittentes vos non ad capeendas temporales divitias, sed promerendas æternas, cum nos & fratres nostri vobis in expensis providerimus competentem. Audito autem nuper & per tuas litteras intellecto quòd universos cruce signatos qui in defensione Constantinopolis à precedenti Martio usque ad proximum morarentur, à voto peregrinationis & onere crucis absolveras, contra te non potuimus non moveri, cum nec debueris nec potueris talia ulla tenentis attentare, quicunque tibi contra suggererent, & quocunque modo seducerent mentem tuam. Cum enim illi ad hoc principaliter assumpserint signum crucis & hoc præsertim voverint Domino Deo suo ut in terræ sanctæ subsidium transfretarent, & à via postmodum errantes in invium temporalia commoda usque hodie sint secuti, utrum tibi licuerit immutare taliter immo pervertere potiùs votum tam solemne ac pium, tibi relinquimus discernendum. Ecce etenim, quod cum mœrore ac rubore referimus, unde videbamur hæc tenus profecisse defecimus, & angustiamur unde credebamus potissimum dilatari. Quomodo enim Græcorum Ecclesia, quantumcunque persecutionibus affligatur, ad unitatem Ecclesiæ & devotionem sedis apostolicæ revertetur, quæ in Latinis non nisi prodicionis exempla & opera tenebrarum aspexit, ut jam meritò illos abhorreat plusquam canes? Illi enim qui non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi querere credebantur, gladios, quos exercere debuerant in paganos, Christianorum sanguine cruentantes, nec religioni nec ætati nec sexui pepercerunt, incestus, adulteria, & fornicationes in oculis omnium exercentes, & tam matronas quam virgines & Deo dicatas exponentes spurcitiis garrionum. Nec sufficit iisdem imperiales divitias exhaurire ac diripere spolia principum & minorum, nisi ad thesauros Ecclesiarum & quod gravius est, ad ipsarum possessiones extenderent manus suas, tabulas argenteas etiam de altaribus rapientes & inter se confringentes in frustra, violantes sacraria, & reliquias asportantes. Præterea, cum latere non possit quod inter tot milia hominum est præsumptum, nunquid Saraceni qui capta Constantino-

Tom. I.

politana urbe nimio fuerant timore percussi, ex quo intellexerint quòd cruce signati post annum sint ad propria redituri, & jam in eos ultio divina desaviat, quæ iniquitates ipsorum jam incipit flagellare, animos non resument, & pauculas oves, quas velut in deserto luporum moribus reliquistis, nisi sola eis Dei dextera restiterit, non vorabunt? Nos quoque qua fronte de cetero populum occidentis ad terræ sanctæ subsidium & præsidium imperij Constantinopolitani poterimus invitare, quibus, etsi non ob culpam propriam, tamen propter factum tuum aliqui forsitan imputabunt quòd cruce signati relicto peregrinationis proposito absoluti ad propria revertantur, & qui prædictum imperium spoliant, illo immunito relicto, referti spoliis terga vertant. Non sit ergo in ore tuo verbum Domini alligatum, nec sis tamquam canis mutus latrare non valens; sed hoc loquere, publicè ac coram omnibus protestans, ut tanto te ampliùs pro Deo & propter Deum oburgantem inveniant quanto magis invenerunt te hæcenus negligentem. [ Super absolutione autem Ducis & populi Venetorum contra formam ecclesiasticam perperam attentata non arguimus te ad præsens, cum per alias litteras super hoc ad te specialiter destinatas te duxerimus arguendum. ]

XCVI. Qualiter autem fuerit ad electionem Patriarchæ processum, ex litteris Domini Papæ colligitur evidenter in hunc modum Imperatori directis:

Postquam dextera Domini, quæ glorificata est in virtute, Constantinopolitanum imperium à Græcis transtulit in Latinos, volentes ij qui fuerant in exercitu Latinorum imperio ipsi de persona idonea providere, ex Principibus Galliarum Imperatorem concorditer elegerunt. Ut autem Veneti, qui fuerant laboris participes, essent pariter consortes honoris, placuit Latinis in communi ut de clero Venetiarum assumeretur vir idoneus & præferretur Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcha. Cum ergo quidam clerici Venetorum fuissent Ecclesiæ sanctæ Sophiæ servitio deputati, ne acephali, id est, sine capite viderentur de præficiendo sibi pastore tractantes conveniunt in unum, & dilectum filium Thomam Subdiaconum nostrum in Patriarcham elegerunt, & confirmationem electionis suæ per nuntios proprios à nobis humiliter postularunt, nobili viro Duce Venetorum per solemnes nuntios suos idem cum instantia requirente. Imperialis quoque sublimitas per suas nobis litteras supplicavit ut conventiones inter eum & peregrinos ex una parte ipsamque Ducem & Venetos ex altera initas ante debellationem regni civitatis, sui que sigilli impressione munitas, nos ratas dignaremur habere ac eas auctoritatis apostolicæ innumine roborare, scire nos volens, ut ejus verbis utamur, quòd cum memorato Duce ac Venetis bonam societatem habuerat & fidelem, & eos cooperatores probissimos & efficaces ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac imperij Constantinopolitani, sicut eorum opera testabantur, invenerat, & in futuro desiderabat habere, cum ad imperij regimen & subventionem terræ sanctæ ac unitatem Ecclesiæ conservandam utilis & necessaria esset societas eorum, nec sine societate ipsorum pariter & amore ad honorem Dei & apostolicæ sedis regi-

h ij

Hæc addita sunt  
ex regesto, ubi  
extare scribit Ray-  
nald. ad an. 1107.  
p. 11.

Vide supra cap.  
88.

Vide supra pag.  
17. & Raynald.  
ad an. 1127. p. 11.

posset idem imperium competenter. Idem quoque nobis sub verbis eisdem nobiles viri Bonifacius Marchio Montisferrati, L. Blesensis, & H. sancti Pauli Comites per suas litteras intimarunt. Nos ergo scriptum conventionum ipsarum ejusdem Imperatoris & ipsorum Marchionis & Comitum sigillis munitum coram nobis perlegi facientes, contineri perspeximus in eisdem ut clerici partis illius de qua non contingeret Imperatorem assumi liberè sibi eligerent Patriarcham. Cùm ergo hujusmodi nobis fuisset electio presentata, licet de persona electa ex mora diutina quam apud sedem apostolicam fecit olim, nos & fratres nostri sufficientem notitiam haberemus, utpote quam noveramus genere nobilem, honestam moribus, prudentia circumspectam, & competenter litteris eruditam, electionem tamen examinavimus juxta morem, & eam invenimus contra formam canonicam attentatam, non tam ex eo quòd à multis exiit contradicta, & ab aliquibus etiam appellatum, et si postmodum fuerit à contradictione pariter & appellatione recessum, quàm pro eo quòd cùm laicis, quantumcunque religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, auctoritate alicujus Principis secularis in Constantinopolitana Ecclesia nec potuerat nec debuerat eligi Patriarcha. Sed nec clerici Veneti, qui Ecclesie sancte Sophie se Canonicos electos appellant, in eadem Ecclesia jus habebant eligendi, cùm in ea neque per nos neque per Legatos aut delegatos nostros fuerint instituti. Propter quod electionem ipsam de communi fratrum nostrorum consilio curavimus in publico consistorio reprobare. Verùm cùm personatum delictum in damnum Ecclesiarum non debeat redundare, nec idem Subdiaconus in aliquo deliquisset, utpote qui absens fuerat & irrequisitus electus, memores precum jam dicti Imperatoris, quæ non solum utilitatem, verùm etiam necessitatem innuere videbantur, & eidem Ecclesie, cujus ad nos ordinatio specialiter pertinebat, providere volentes, ac sub ea spe Venetis gratiam exhibere, ut ad obsequium crucis Christi fortius accingantur, ex collata nobis plenitudine potestatis eundem Subdiaconum nostrum, tamquam membrum apostolicæ sedis elegimus & confirmavimus eidem Ecclesie Patriarcham. Monemus igitur imperatoriam dignitatem, consulimus, & exhortamur quatenus Patriarcham ipsum, cùm ad Constantinopolitanam accesserit civitatem, benignè recipias & honores, & tamquam Episcopum & pastorem anime tuæ humiliter veneris, & in iustitiis suis & Ecclesie sibi commissæ manuteneas & defendas, taliter in ceteris honoraturus ut ab eo cujus minister existit merearis in celestibus honorari.

XCVII. Quid verò Duci Venetorum responderit petenti pactiones inter Francos & Venetos initas confirmari, ipsius litteræ ad eum directæ demonstrant.

Venientes, inquit, ad apostolicam sedem dilectos filios . . . & A. nobiles cives Venetorum nuntios tuos benignè recepimus, & quæ coram nobis proponere curaverunt audivimus diligenter. In nostra igitur presentia constituti conventiones quasdam inter se & Venetos ex una parte & carissimum in Christo filium nostrum Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem illustrem &

Francos ex altera concorditer initas afferbant; quas ne quis violare præsumeret, petebant sub pœna excommunicationis per sedem apostolicam inhiberi; ut quicumque videlicet veniret de cetero contra eas; excommunicationis sententiæ subjaceret. Super hac autem prima petitione cum fratribus nostris habito diligenti tractatu, tria invenimus quæ ipsi petitioni penitus contradicunt. Hoc enim in conventionibus ipsis capitulum est expressum, ut inter Venetos & Francos possessiones ecclesiasticæ dividantur, reservata clericis portione de qua possint honorificè sustentari. Sanè cùm Ecclesiarum thesauros non sine creatoris offensâ manu diriperint violenta, majorem culpam incurrerent si spoliatis thesauris Ecclesiarum suis possessionibus mutilarent; nec decet apostolicam sedem illos hoc modo defendere qui sic ecclesiasticam offenderent dignitatem. Præterea cùm ad honorem ejusdem Ecclesie Romanæ hujusmodi sint initas pactiones, & ferè sit in singulis hoc expressum, ut ad honorem ejus omnia provenirent, nec debuimus nec potuimus confirmare quod contra juramentum ab utraque parte communiter prælitum honori sedis apostolicæ derogaret. Insuper cùm in te ac in sex de Consiliariis tuis & nobilem virum Marchionem Montisferrati ac sex de Consiliariis suis addendi vel minuendi sit collata facultas, qualiter in laicorum arbitrio nostram sententiam poneremus, ut illi sententiam excommunicationis incurrerent qui nobis ignotas & sacris forsân canonicis inimicas constitutiones laicas non servarent? Cùmque dilectus filius Thomas Constantinopolitanus electus in proximo Constantinopolim sit venturus, non fuerat de possessionibus Ecclesie Constantinopolitanæ ante adventum ipsius aliquid disponendum à laicis, vel confirmandum à nobis, quod posset in juris ejus injuriam & Ecclesie suæ dispendium redundare.

XC VIII. Idem igitur Dominus Innocentius præfatum Constantinopolitanum electum sabbato quatuor temporum quadragesimæ in Diaconum ordinavit, & in sabbato hebdomadæ mediantis in sacerdotem promovit, ac sequenti Dominica Romæ apud sanctum Petrum in Episcopum consecravit, ac postmodum contulit ei palleum, insignem videlicet plenitudinis pontificalis officij, de corpore beati Petri Apostoli sumptum, recepto ab eo fidelitatis & obedientiæ juramento sub ea forma jurandi antiqua & approbata secundum quam Primates & Metropolitanus solent in susceptione palli Romano Pontifici & Ecclesie Romanæ jurare, privilegium sibi sub hac forma concedens.

Prærogativa dilectionis & gratiæ quam apostolica sedes exhibuit Ecclesie Bizantinae, cùm eam in patriarchalem sedem erexit, ecclesiasticæ plenitudinem potestatis, quam non homo, sed Deus, immo veriùs Deus homo in beato Petro Ecclesie Romanæ concessit, evidenter attestatur, & quòd Romanus Pontifex ejus vicarius sit ostendit, qui & primos novissimos facit & novissimos primos. Sanè cùm eadem Ecclesia, quæ tunc Byzantina, nunc autem Constantinopolitana vocatur, nec nomen nec locum inter sedes patriarchales haberet, apostolica sedes fecit ei nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra, & ipsam quasi de pulvere suscitatum usque adeo sublimavit ut

Grat. 17. q. 7. c. 24. & lib. 5. Capitular. c. 403.

\* Cod. reg. ordinandus

eam tam Ecclesie Alexandrinæ quam Antiochenæ ac Hierosolymitanæ dignitatis privilegio anteferet, atque post se præ ceteris exaltaret; ita quod cum multæ filie divitias congregaverint, hæc sola per matris gratiam specialem supergressa fuerit univèrsas. Licet autem eadem Ecclesia interdum ab obedientia sedis apostolicæ declinaverit, quia tamen ad eam per Dei gratiam humiliter est reverfa, tuis precibus annuentes, eandem Ecclesiam, cui Deo actore præesse dinoscis, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Præterea quascunque possessiones & quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum & usque adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata consistant. Libertates etiam & immunitates ejusdem Ecclesie ac consuetudines rationabiles & antiquas, quæ apostolicæ sedis non obviant institutis, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Pallium quoque, in signe videlicet plenitudinis pontificalis officij, fraternitati tuæ apostolicæ sedis liberalitate largimur, quo infra Ecclesias tuæ jurisdictioni subiectas in solemnibus Missarum utaris diebus inferiis denotatis, videlicet in nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Hyppanti, Dominica in ramis palmarum, Cæna Domini, sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitibus sanctæ Mariæ, natali beati Johannis Baptistæ, solemnitatibus Apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, Episcoporum consecrationibus, ordinationibus clericorum, principalibus festivitibus Ecclesiarum tuarum, & anniversario consecrationis tuæ die, & tam Imperatoris quam aliorum magnatum & Principum sepulturis. Ad indicium etiam gratiæ plenioris, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut Archiepiscopus suffraganeis tuis usum pallii præsentis indulgentiæ auctoritate concedas, ab eis pro te quod canonicum fuerit, pro nobis autem & Ecclesia Romana sponsonem obedientiæ recepturus. Porro crucem, videlicet vexillum dominicum, per quemcumque locum te transire contigerit, excepta urbe Romana & loco in quo fuerit Romanus antistes, ante te deferendi licentiam impartimur, & in processionibus tuis tibi concedimus usum \* naci. Præsentis scripto nihilominus statuente ut universi clerici cujuscunque nationis & gentis in civitate vel diocesi Constantinopolitana Ecclesias vel ecclesiastica beneficia obtinentes tibi & Ecclesie Constantinopolitanæ reverentiam exhibeant debitam & devotam. Salva tamen in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, reverentia, & honore.

Has etiam indulgentias eidem Patriarchæ concessit.

Sicut Dominus in Romanam Ecclesiam per beati Petri merita sua dona effudit, sic ejus privilegium ampliavit ut quantumlibet in alios fuerit liberalis, nec detrimentum inde honoris timeat nec dispendium potestatis, utpote quæ nihil sibi subtrahit cum aliis etiam maxima elargitur, nec aufert quod confert, nec quod donat amittit Ipsa etenim in eos quos in partem suæ sollicitudinis evocat sic dispensat onera & honores ut non minus eam

omnium Ecclesiarum cura sollicitet & plenitudo ecclesiastica potestatis adonet, quam non patitur Petri privilegium minorari. Cum igitur ad apostolicam sedem personaliter \* laboraris, & per impositionem manuum nostrarum diaconatus & presbyteratus susceperis ordines, & \* in Episcopum tandem fueris consecratus, specialem gratiam tibi facere volumus, & te personaliter intendimus honorare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut subditos tuos qui in clericis & alios viros religiosos manus injecerint violentas, auctoritate ac vice nostra secundum Ecclesie formam absolvas; nisi forsitan ita enormis fuerit excessus ut merito credas eos ad sedem apostolicam destinandos. Falsariorum quoque absolutionem tuæ fraternitati committimus, si forsitan in sigillo tuo vel subditorum tuorum virium commiserint falsitatis. Ut autem tanquam sponsus de thalamo matris procedas ad sponsam circumdatus varietatibus & indulgentiarum nostrarum decoratus amictu, tibi personaliter indulgemus ut si qui Reges in Constantinopolitano imperio fuerint inungendi, dum tamen à te inunctio postuletur & assensus imperialis accedat, inungas. Quia igitur gratia datur ex gratia, quod apud nos fueris gratiosus, effusa super te monstrabit copia gratiarum. Tuis igitur precibus annuentes, fraternitati tuæ personaliter indulgemus ut in diebus dominicis & præcipuis solemnitatibus, cum necesse fuerit, personas idoneas in Subdiaconos valeas promovere, & cum in Ecclesia Constantinopolitana vel nulli vel pauci sint canonicè instituti, ad eam subblato appellationis obstaculo idoneos viros assumas, nec carnè & sanguini aliter quam deceat acquiescas, sed merita ponderes & literaturam attendas; quoniam in omnigente qui facit justitiam acceptus est Domino. Licet in forma juramenti quod nobis in susceptione pallii secundum generalem consuetudinem præstitisti hoc specialiter sit expressum ut possessiones ad mensam tuam episcopatus spectantes nec vendas, nec dones, nec pignori obliges, nec de novo infeudes, nec aliquo modo inconsulto Romano Pontifice alienes, quia tamen novitatem tuam & Ecclesie Constantinopolitanæ necessitatem ac totius terræ turbationem allegans, super hoc nos duxisti humiliter consulendos, ne pro singulis ad nos negotiis recurrere compellaris, ut in talibus, cum necesse fuerit, de prudentum virorum consilio statuas quod eidem Ecclesie ac tibi videris expedire, auctoritate tibi præsentium licentiam impartimur. Auctoritate quoque præsentium inhibemus ne obeunte te nunc Constantinopolitano Patriarcha vel tuorum quolibet successorum, ullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi qui fuerit electus secundum canonicas sanctiones. Cum autem secundum morem ecclesiasticum fuerit consecratus, ad sedem apostolicam nuntios suos mittat, pallium de corpore beati Petri sumptum, in signe videlicet plenitudinis pontificalis officij, petiturus; in cujus susceptione juramentum nobis & successoribus nostris secundum apostolicæ sedis consuetudinem, quod & tu ipse nobis suscepto palleo præstitisti, sine contradictione qualibet exhibebit. Ad hæc, tuæ fraternitati concedimus ut liberè à subditis tuis, cum necesse fuerit, ad tuam

h iij

\* Cod. reg. acceptis

\* Idem cod. apud ipsam

Vide Raynald. ad an. 1221. §. 27.

Vide Raynald. ad an. 1213. §. 25.

\* Vide Glossar. Duceimij in v. Nazium.

Data apud S. Petri Kal. April. an. 1.

Vide Raynald. ad  
an. 1218. §. 27.

audientiam appelletur, nisi cum negotium fuerit ab apostolica sede commissum; ita quod tu appellationibus ad Romanam Ecclesiam interpositis humiliter deferas & devotè. Licet nulli penitus injuriam facimus cum utimur jure nostro, nec deprecat quicquam aliquibus cum collatum nobis ecclesiastica potestatis plenitudinem exercemus, Constantinopolitanam tamen Ecclesiam providere volumus ad caurelam, & dolosa labia & linguam malignam habentibus materiam subtrahere murmurandi. Quamvis igitur ejusdem Ecclesie utilitate ac necessitate cogente, utpote quæ, postquam Constantinopolitanum imperium devolutum fuerat ad Latinos, non fuerat ordinata, cum non ad alium, sed ad nos tantum ejus ordinatio pertinebat, te in Constantinopolitanum elegerimus & eligendo confirmaverimus Patriarcham, ac munus tandem consecrationis tibi duxerimus impendendum, quia tamen eidem Ecclesie auferre nolumus electionis canonicæ libertatem, in qua ipsam potius manutene proponimus & fovere, nolumus ut ex facto nostro aliquid ei præjudicium generetur quod minus, cum eam vacare contigerit, canonicè ordinetur.

Vide Raynald. ad  
an. 1218. §. 28.

XCVIII. Idem igitur Patriarcha Venetias est reversus, ut inde Constantinopolim navigaret; sed à Venetis est compulsus quasdam eis facere illicitas actiones; quæ cum ad summi Pontificis notitiam pervenissent, eas omnino cassavit, sicut per litteras eidem Patriarchæ directas apparer.

Ad hoc Deus apostolicæ sedis antistitem, qui plenitudinem habet ecclesiasticæ potestatis, super gentes & regna constituit ut juxta verbum propheticum evellat & destruat, dissipet & disperdat quæ in agro dominico suæ culturæ commisso inutilia repererit & nociva, juxta quod alibi sibi præcipitur à Domino per Prophetam: *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Nos igitur attendentes juramentum illud, quasi prorsus illicitum, non esse servandum quod à te Venetiis constituto fuit à Venetis violenter extortum, sicut tua nobis insinuatio patefecit, ut videlicet neminem sis facturus Canonicum in Ecclesia sanctæ Sophiæ nisi Venetum natione, vel qui continè per decennium Venetiis habitasset, quodque bona fide modis omnibus quibus poteris laborabis ut semper in Ecclesia sanctæ Sophiæ sit Venetus Patriarcha, salvo tamen in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia & honore, licet hæc conditio ita sit à te adjecta ut non sit in scriptis redacta, præsentium tibi auctoritate mandamus & in virtute spiritus sancti districtè præcipimus quatenus juramentum illud nequaquam observes, cum sanctuarium Dei non sit hereditario jure ab aliquibus possidendum, sed in omni gente qui facit justitiam acceptus est Deo, præcavens diligenter ne posthac apostolicæ sedis præceptum in præmissis articulis violes, iterumque delinquant: quoniam si de cetero solos Venetos in Ecclesia sanctæ Sophiæ Canonicos institueris, & ad hoc impenderis operam qualemcunque ut semper in eadem Ecclesia sit Venetus Patriarcha, in ipsa non ponendo Canonicum nisi juret quod nunquam alium nisi de Venetis eliget aut recipiet Patriarcham, nulla deinceps ratione super his poteris excusari. Sed nec illud observes quod absque juramento diceris promississe, ut neminem in Archiepiscopum præter

Vide cap. Ad de-  
coem. De inju-  
ritiis.

Venetum in tota facias Romania. Ne verò prætextu juratorie cautionis aut cujuscunque promissionis obtentu talia de cetero præsumantur, aut si præsumpta sunt, observentur, nos obligationes hujusmodi auctoritate apostolica irritamus, sub interpositione anathematis prohibentes ne quis eas observare præsumat; tibi que præcipimus ut id Canonice sanctæ Sophiæ, non solum institutis, sed etiam instituendis, cautè denunties, quatenus hoc nefas valeant evitare. Licet autem plus debueris Deum timere quam homines, ne jures aliquid propter homines contra Deum, si tamen in illo juramento per vim & metum extorto præscriptam adhibuisti cautelam, ut juraveris salvo in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia, & honore, nos tibi delictum tuum humiliter confitenti de speciali gratia indulgemus ut hujusmodi juramentum nullum tibi possit præjudicium generare, dammodo præceptum quod salubriter tibi fecimus ad salvandum jus, reverentiam, auctoritatem, & honorem apostolicæ sedis, contra ejus statuta ea quæ sunt jurata redundant, fideliter exsequaris. Ceterum etsi præscripta nobis à tuis nuntiis secretò fuerint intinata, noveris tamen pro certo quod quædam eorum certa relatione prius fuerant nostris auribus patefacta. [Data Ferrentini x i. Kal. Julij, anno nono.]

C. Cum igitur Patriarcha Constantinopolim pervenisset, antequam civitatem intraret nuntios & litteras destinavit ad clerum & populum universum, ut ei obviam procedentes debito ipsum reciperent cum honore. Clerici verò Francorum noluerunt ipsum recipere vel ei aliquatenus obedire, asserentes promotionem ejus per suppressionem veritatis & expressionem falsitatis ab apostolica sede fuisse subreptam, & ad eam in præsentia Cardinalis unanimiter appellarunt; quorum appellationis Cardinalis censuit deferendum, & ideo noluit illos compellere ad exhibendum obedientiam Patriarchæ. Sed nec ipsi excommunicationis sententiam servaverunt quam in eos idem protulis Patriarcha, & sic in discordia permanserunt donec Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus ad Constantinopolitanam urbem pervenit, qui tandem composuit inter eos. Hunc Dominus Papa constituit generalem Legatum per totum imperium Romanie, ipsum à latere suo de novo transmittens; tum quia præfatum Petrum tituli sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem in Hierosolymitanam provinciam remittere intendebat, tum quia Legatus à sede apostolica noviter destinatus in majori reverentia & honore debebat haberi, sicut apparuit ex postfacto. Nam qualiter & ipse processerit, & quid egerit in processu, ipsius litteræ ad Dominum Papam directæ demonstrant. *Memini*, inquit, *paternitati vestra litteris intimasse &c.*

CI. Compositionem igitur factam inter Patriarcham & Francos super possessionibus Ecclesiarum quæ secundum divisionem factam inter Francos & Venetos pervenerant ad eosdem, ad petitionem utriusque partis Dominus Papa firmiter observari præcepit hoc modo.

Instantia nostra cottidiana, sollicitudo videlicet Ecclesiarum omnium, quæ nobis imminet Deo disponente, nos admonet & inducit ut iis quæ de liberatione provida pro Ecclesiarum utilitatibus

ordinantur robor apostolicum apponamus; ne tergiverfatione malorum, qui Ecclesiarum profectibus invident & queri, ea in detrimentum ipsarum valeant revocari. Cùm igitur inter te & clerum tibi commissum ex una parte, & dilectum filium nobilem virum Henricum moderatorem Constantinopolitani imperij, Barones, Milites, & populum ex altera, super recompensatione faciendâ Ecclesiis de possessionibus earundem amicabilem compositionem intercesserit, nos necessitatem temporis attendentes, compositionem ipsam, sicut sine vi & dolo providè facta est & ab utraque parte de certa scientia liberè ac spontè recepta, præcipimus firmiter observari; dammodo circa possessiones & proventus hujusmodi nulli præjudicium generetur. Ad majorem autem notitiam formam compositionis ejusdem, prout continetur in instrumento exinde confecto, de verbo ad verbum huic paginæ duximus inferendam. **I N N O M I N E**  
 Domini Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi. Anno Domini millesimo ducentesimo sexto, mense Martij, Indictione nona, Constantinopoli. Hæc est forma concordie factæ inter Dominum Benedictum tituli sanctæ Susannæ Presbyterum Cardinalem apostolicæ sedis Legatum & Dominum Thomam Maurocenum sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarcham ex una parte, & Dominum Henricum & Barones & Milites ex altera, in conquisitis & acquirendis intus & extra imperium \* Romaniam. Dominus Henricus de consilio & assensu omnium Principum, Baronum, Militum, & populi dat Ecclesiis & promisit se daturum in eandem recompensationem possessionum, sicut inferiùs denotatur. Extra muros civitatis Constantinopolitanæ partem quintam decimam omnium possessionum, civitatum, castrorum, \* casalium, camporum, vinearum, nemorum, silvarum, pratorum, pomætorum, hortorum, salinarum, passagiorum, teloneorum terræ & maris, piscariarum in mari & aqua dulci, & omnium possessionum, etsi in præfenti scripto non reperiantur in solidum declarata. His exceptis, quod de terra quam habent juxta muros nominatæ civitatis à porta aurea usque ad portam Blachernæ, inter murum ipsius & mare, dare quintam decimam nullatenus tenebuntur, nec etiam de casalibus monetæ. In quorum recompensationem casalium Dominus Henricus & prædicti secundùm eorundem casalium valorem in prima conquestione satisfacere de quintadecima Ecclesiis tenebuntur. De \* commercio quod infra Constantinopolim vel extra nomine civitatis receperint quintam decimam non dabunt. Si in ipsa civitate Constantinopolitana nomine alterius civitatis aut loci vel alibi commercium solvetur, quintam decimam dabunt Ecclesiæ. Si verò cum aliqua civitate vel castro, terra vel insula, quam Dominus Henricus sibi & imperio subjugare non poterit, per annum censum compositum fuerit, quintadecimam dabunt Ecclesiæ. Sed si feudare vel donare vel alienare voluerit, hoc faciat, salva primò Ecclesiarum quintadecima parte. Divisiones possessionum inter Ecclesiam & prædictos hoc modo fient, quod boni viri post bullatum præfens instrumentum infra octo dierum spatium ab utraque parte eligentur, qui jurati bona fide de possessione cujuslibet terræ & aquæ quindecim partes facient, & sortes mittent si aliter conve-

nire non possint; & super qua ceciderit fors, Ecclesiæ erit. Hæc autem infra Pentecosten festum proximè venturum bona fide complebuntur. Claustra verò omnia tam infra civitatem quàm extra libera erunt Ecclesiæ, nec in quintadecima computanda. Si de quantitate claustrorum quæstio oriatur, utraque partium eliget unum idoneum post quæstionem motam infra octo dierum spatium; & illi duo per sacramentum suum tertium eligant; & quod illi tres vel major pars eorum astricci sacramento infra viginti dies super hoc bona fide duxerit faciendum, stabile permaneat. Si pro ardua necessitate terræ aliqua castra fuerint incastellanda, incastellentur de assensu Domini Patriarchæ vel diocesani Episcopi. Quod si de incastellationibus concordare nequiverint, sicut supra dictum est de claustris, quæstio terminetur. Dabunt insuper decimas laborum omnium in perpetuum, videlicet de blado, legumine, & omnibus fructibus terræ & vinearum quas excolunt vel propriis sumptibus excoli facient, & de fructibus arborum & hortorum, exceptis fructibus arborum & hortorum quos patrum familias in usus comedendi & munusculorum bona fide converteret. De nutrimentis animalium quadrupedum, & de apibus, & lanis decimæ solventur. Et progressu temporis si à Græcis Ecclesia decimas per exhortationem & admonitionem acquirere poterit, per eos nullum impedimentum præstabitur. Præterea clerici & Ecclesiæ universæ, earum possessiones, & manentes in ipsis possessionibus & Ecclesiis, & religiosæ personæ tam Græcorum quàm Latinorum, & morantes cum prædictis, & claustra Ecclesiarum & habitantes in eis, & qui ad Ecclesiam confugerint, liberi erunt ab omni laicali jurisdictione secundùm liberaliorem consuetudinem Franciæ, salva in omnibus auctoritate Ecclesiæ Romanæ, nec non & Constantinopolitanæ honore, & jure Domini Patriarchæ & Imperatoris & imperij, & salvis in omnibus capitulis suprascriptis. De terris verò quæ Deo volente de cetero conquirerentur, primò habebit Ecclesia quintadecimam partem antequam alicui distribuatur. Hæc autem omnia Dominus Henricus & Barones ipsius bona fide attendent, & curabunt pro posse debito effectui mancipare. Nulli omnino hominum liceat hanc paginam concordie vel pactiois infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Hanc compositionem Dominus Patriarcha pro se & successoribus suis se firmiter observaturum promisit, & Dominus Henricus & Barones & Milites cum populo similiter pro se & successoribus suis, & hæc excepta communi parte Venetorum, se firmiter observaturos promiserunt. Datum Constantinopoli apud sanctam Sophiam sextodecimo Kalendas Aprilis. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ præceptionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Ferentini Nonis Augusti, anno nono.

**CII.** Post hæc Patriarcha prædictus solemnem nuntios cum gratuitis obsequiis ad apostolicam sedem direxit super diversis articulis, querelas, consultationes, & preces inculcans. Ad quæ omnia Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Inter quatuor animalia quæ in medio sedis & in ejus circuitu describuntur, facies aquilæ ab Ezechiele desuper ipsorum quatuor memoratur: quoniam inter quatuor patriarchales Ecclesias, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Constanti-

\* *Id. reg. & Ped. Romanū*

\* *Id. reg. casalium, casalicorum,*

\* *f. commar. bo*



nopolitanam, quæ per animalia supradicta significatur, quas apostolica sedes in medio habens quasi filias amplectitur spirituales, cui eadem sunt in circuitu quasi famulæ obsequentes, ipsa Constantinopolitana post apostolicam sedem excellentia præminet dignitatis; ad cuius exaltationem tanto libentius aspiramus quanto ipsum honorabilius membrum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ arctius amplexantes, ipsius auxilio temporibus istis eandem amplius noscimus indigere, ac tuas, qui eidem Domino disponente præesse dinoscere, petitiones libentius promovere disponimus, quibus non repugnat honestas, nec aliis præjudicium generatur; cum a nobis injuriarum actio non debeat exoriri, à quibus jura tamquam à fonte ad ceteros derivantur. Licet igitur in quantum cum Deo possumus tuo velimus honori deferre ac tuas preces effectui mancipare, petitionem tamen illam nequiverimus exaudire qua postulasti à nobis ut donationes Ecclesiarum & beneficiorum à dilecto filio Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato factas te presente ac penitus inconsulto, cum nimiam multitudinem Ecclesiarum contulerit, easque jure perpetuo absque tuo consensu & Capitulæ majoris Ecclesiæ tradiderit possidendas, dignaremur auctoritate apostolica irritare: quoniam idem Legatus per suas litteras nobis intimavit quòd quasdam Ecclesias, postquam à nobis litteras legationis accepit in Constantinopolitano imperio exercendæ, quibusdam Ecclesiis & locis Hierosolymitanæ provincie contulit, quibus eadem Ecclesiæ ad custodiam fuerant assignatæ, ut vel sic subveniretur utrinque necessitatibus terræ sanctæ, & quasdam quibusdam aliis locis religiosis, quorum nuntij ad vocationem carissimi in Christo filij nostri Balduini Constantinopolitani Imperatoris illustri illuc accesserant, assignavit, quosdam clericos, inspecta utilitate qua de ipsorum institutione poterat provenire, in quibusdam Ecclesiis procurans ordinare. Unde quia visum est ei quòd ordinata per ipsum intenderis immutare post recessum ejus, presentibus dilecto filio Benedicto tituli sanctæ Susannæ Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legato & multis de clero, ac etiam temetipso, omnia quæ per ipsum fuerant ordinata sedis apostolicæ protectioni supponens, ne ipsorum aliquid immutares, ad nostram audientiam appellavit, à tunc instanti passagio usque ad annum suæ terminum appellationi præfigens. Cum igitur rationabilem terminum dictus Legatus appellationi præfixerit quam emisit, qui eam ex rationabili causa, videlicet obedientiæ bono & obsequio terræ sanctæ, usque ad biennium ipsum potuisset prorogasse, appellatione pendente juxta canonicas & legitimas sanctiones, sicut tua fraternitas non ignorat, in ipsius absentia non debuit eorum aliquid immutari; præsertim cum præsumi valeant rite facta donec in contrarium probaretur, & id fieri sine illorum præjudicio non valeret quibus dictæ Ecclesiæ seu beneficia auctoritate apostolica sunt collata; cum nec citati fuerint, nec absentes per contumaciam, seu convicti, sed penitus indefensi. Si quas verò de ipsis nos duxerimus aliquibus confirmandas, juxta communem formam id noveris faciendum, videlicet sicut ea jure possident & quietè. Super eo verò mirari non debes, sicut idem

Legatus asserit, quòd ipse te presente ac inconsulto Ecclesias & beneficia contulit memorata; cum & tu ipse multò majora, Ecclesiam videlicet sanctæ Sophiæ, quæ caput patriarchatus existit, necnon archiepiscopatus & episcopatus ipso presente & inrequisito penitus, qui vices nostras gerebat, ibidem curaveris ordinare. Quamvis ergo tuam propter præmissa petitionem juxta tuum desiderium nequiverimus exaudire, tuo tamen, quantum cum nostra possumus honestate, volentes honori deferre, fraternitati tuæ duximus concedendum ut hi qui Ecclesias illas seu beneficia possident, obedientiam tibi debitam exhibeant & devotam; nisi fortè aliqua illarum jurisdictione Patriarchæ legitime fuisset exempta. Subsequentem verò petitionem, qua Ecclesias illas tibi subici postulabas quæ priusquam Constantinopolitana civitas caperetur, Constantinopolitano Patriarchæ minime respondebant, duplici ratione non duximus admittendam. Iuris namque ratio postulavit ut in illorum præjudicium quibus eadem Ecclesiæ sunt subjectæ nihil ordinaremus de ipsis, cum nec citati sint, nec convicti, nec per contumaciam se absentent. Id etiam modò fieri providentia dissuasit, ne Pisani ac Veneti alijque quamplures apud Constantinopolim hujusmodi habentes Ecclesias contra imperium provocarentur hoc tempore, qui sunt alliciendi potius blandimentis donec illad soliditate immobili roboretur. Quòd si jus tuum contra illos prosequendum duxeris tempore opportuno, faciemus auctore Domino super ipsis justitiæ tibi plenitudinem exhiberi. Super obedientiam verò quam ut tibi faceremus impendi ab Archiepiscopo & Episcopis regni Cypri similiter postulasti, ferè idem quod in precedenti petitione tibi duximus respondendum; cum & ipsi ante tuam extiterint promotionem exempti, cum videlicet Constantinopolitana Ecclesia erat inobediens & rebellis, & in eorum absentia circa statum ipsorum non debuerimus aliquid immutare. Iustitiam tamen non negabimus tibi cum eam duxeris postulandam. Præterea ex parte tua fuit propositum coram nobis quòd quidam Episcoporum Romanæ commoniti tibi obedire contemnunt, qui tamen episcopales reditus percipere non desistunt; quidam verò ex eis ab episcopatibus fugiunt ne valeant commoneri, per sex menses vel amplius suam diocesim deserentes. Unde nos suppliciter exorasti ut super hoc tibi salubriter consulentes, qualiter circa illos & ipsorum dioceses procedere debeas devotioni tuæ scribere dignaremur. Nos igitur attendentes quòd per novitatem mutationis imperij & novitatum eventus sit cum maturitate plurima procedendum, fraternitati tuæ taliter respondemus, ut illos non semel, sed sæpe, videlicet primò, secundo, & tertio citare procuret, & si parere noluerint, sed in sua duxerint contumacia persistendum, nisi fortè se appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infra tempus legitimum prosequantur, ipsos per suspensionis & excommunicationis sententias ad tuam obedientiam venire compellas. Quòd si nec sic ipsorum duritia poterit emolliiri, eos dilectus filius Benedictus tituli sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus ab episcopatus administratione removeat, & quibus præsent

Cap. Inter quatuor. De major. & obed.

Cap. Inter quatuor. De major. & obed.

præsent Ecclesiis de personis idoneis unâ tecum faciat provideri, sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer fiducialius agi possit. In Ecclesiis autem illorum qui se fraudulenter absentant ne ad ipsos citatio valeat pervenire, trinâ citationis edictum facias publicari; & si nec sic curaverint obedire, sed contra ita ultra sex menses suas deseruerint Ecclesias ut juxta canonicas sanctiones eis merito debeant spoliari, contra eos quoque sicut præscriptum est procedatur. Cùm verò Legatus ad propria remeavit, tibi, quandiu nobis & successoribus nostris placuerit, personaliter duximus concedendum ut contra præfatos rebelles præscripto modo procedas, tamquam à sede apostolica delegatus. Tua insuper fraternitas postulavit ut cùm in partibus illis nimia sit episcopatum multitudo, illos, cùm nimis sint tenues, ad paucitatem redigere tibi concedere dignemur. Nos autem ita duximus providendum, ut id, cùm necessitas vel utilitas postulaverit, per præfatum Legatum, quandiu in partibus illis extiterit, tuo tamen accedente consilio, valeat adimpleri, ita videlicet ut episcopatus non uniat, sed illi quem fecerit ad unam Ecclesiam ordinari aliquot tales Ecclesias, si viderit expedire, committat; quatenus si fortè pro temporis necessitate de ipsis fuerit aliter ordinandum, quod factum est facultus valeat immutari. Legato verò ad propria redeunte, tu, si necesse fuerit, auctoritate sedis apostolicæ, tamquam delegatus à nobis, facias illud idem. Postulasti postmodum per sedem apostolicam edoceri qualiter episcopatus illos debeas ordinare in quibus Græci tantummodo commorantur, & illos etiam in quibus permixti sunt Græci pariter & Latini, & quos debeas præficere in eisdem. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, quod in illis Ecclesiis in quibus sunt solummodo Græci, Græcos debes Episcopos ordinare, si tales valeas reperire qui nobis & tibi devoti & fideles existant, & à te consecrationem velint recipere humiliter & devotè. In illis verò in quibus cum Latinis Græci sunt mixti, Latinos præficias & præferas ipsis Græcis. Ceterum nobis humiliter supplicasti ut de nostra tibi permissione liceret constitutos & constituendos in ecclesiasticis dignitatibus baculis, mitris, anulis, & sandaliis insignire, ac dispensare cum illis qui omnis minoribus majores ordines recipere præsumferunt. Nos ergo volentes personaliter tibi gratiam facere specialem, auctoritate tibi præsentium indulgemus quatenus illis concedas insignia supradicta quibus secundum morem apostolicæ sedis possunt honestè concedi, ac cum illis super omissione prædictorum minorum ordinum auctoritate nostra dispenses quibus litterarum scientia & morum gravitas suffragantur, injuncta prius illis pœnitentia competentem. Consuluit nos insuper fraternitas tua utrum clericos ad te sine suorum ordinum litteris venientes, & offerentes præstare corporaliter juramentum quod sint in quovis ecclesiasticorum ordinum constituti, debeas ad superiores ordines promovere. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nisi de ipsorum ordinatione canonica per idonea tibi constituerit argumenta, eos nec in illis suscipere nec ad majores debes ordines promovere, præsertim antequam eorum conversatio fuerit comprobata.

Tom. I.

Edoceri quoque de sacrificiorum & aliorum sacramentorum ritu per sedem apostolicam postulasti, utrum debeas Græcos admittere ut ea exercent more suo, vel compellere ad ritum potius Latinorum. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, ut eos tamdiu in suo ritu sustineas, si per te revocari non possunt, donec super hoc apostolica sedes maturiori consilio aliud duxerit statuendum. De Clericis autem qui Ecclesias vel præbendas sibi concessas absque justa & necessaria causa, tuo præsertim non accedente consensu, in hac deserunt novitate, hoc tibi duximus rescribendum, quod postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possint eis justè privari, dummodo non sint justo impedimento detenti. De monasteriis quoque Græcorum in seculares Canonicos convertendis, fraternitati tuæ breviter respondemus quod quandiu per regulares viros sive Græcos sive Latinos remanere poterunt ordinata, non sunt ad seculares clericos transferenda. Sed si regulares defuerint, propter eorum defectum in eis seculares clerici poterunt ordinari. Præterea nobis humiliter supplicasti ut cùm difficile sit tuæ jurisdictioni subiectis pro singulis quæstionibus ad sedem apostolicam laborare, super appellationibus modum imponere dignemur. Cùm igitur sanctæ recordationis Gregorius Papa prædecessor noster duxerit statuendum ut si fortè super rebus modicis, quæ infra summam decem marcharum subsistunt, in Archiepiscoporum & Episcoporum auditoriis quæstio ventiletur, & alia partium litigantium delusoriè putaverit provocandum, ipsi ejus appellatione contempta infra fines episcopatum ipsorum eligere iudices qui careant suspitione compellant, si tamen ibidem idonei poterunt inveniri, in quorum presentia iurgium sopiatur, nos attendentes quod nimis dispendiosum esset & grave propter multa maris & terræ discrimina subditos tuos pro singulis querelis sedem apostolicam adire, fraternitati tuæ per apostolica scripta indulgemus quod in causis illis quæ in tuo debent auditorio pertractari, si aliqua partium ad sedem apostolicam provocaverit, & res super qua quæstio vertitur summam non excesserit prætaxatam, non obstante appellationis objectu, justitia mediante, procedas, vel partes compellas in aliquos compromittere qui appellatione remota causam audiant & debito fine decidant. illud idem facturus de levioribus causis, præsertim inter personas minores, quæ cùm sint merè spirituales, civilem non continent quæstionem. Venetos autem habitatores regni civitatis ad solvendum decimas personis & Ecclesiis Constantinopoli existentibus quibus de jure debent, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas, non obstante consuetudine quam habitatores Venetiarum observant, ut videlicet in morte duntaxat decimantilla quæ acquisiverunt in vita, ne hoc prætextu Ecclesia Constantinopolitana suo fraudetur jure si forsitan hi qui longo tempore Constantinopolim habitaverunt, circa finem vitæ suæ Venetias revertantur. Verùm in his & in aliis cum discretionem ac maturitate procedas, impetum & facilitatem evitans: quoniam in ejusmodi satius est de tarditate aliqua quam de velocitate nimia reprehendi.

C I I I. Interim quidam natione Burgundio electus in Archiepiscopum Pattacensem super pro-

Cap. Inter quatuor. De cler. non resid.

Cap. Inter quatuor. De relig. domib.

Gregorius VIII. ut est in cap. 47. de appellat. in 2. collect. Decretal.

Cap. Inter quatuor. De cler. p. 107.

vinciam Achaiae universam, ad apostolicam sedem accessit: pro quo nobilis vir Guillelmus Campaniensis Princeps Achaiae & Canonici sancti Andree de Patras humiliter supplicabant ut ipsum eis in Archiepiscopum summus Pontifex concedere dignaretur, remittendo ipsum confirmatum, consecratum, & palleatum. Qui qualiter super hoc facto processerit, ipsius litterae manifestant Constantinopolitano Patriarchae transmissae.

Inter quatuor, *inquit*, animalia quae secundum Apocalypsin Iohannis in medio sedis & in circuitu existere describuntur, licet aquila ceteris postponatur, ipsa tamen aliis antecellit: quia cum per huiusmodi sedem Romana Ecclesia designetur, quae usitato vocabulo sedes apostolica nuncupatur, & per quatuor animalia, videlicet leonem, vitulum, hominem, atque aquilam, intelligantur quatuor patriarchales Ecclesiae, videlicet Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina, & Constantinopolitana, quae in medio sedis tamquam filiae continentur in sinu matris, & in circuitu sedis tamquam familiae in obsequio dominae praeparantur, licet Constantinopolitana Ecclesia inter ceteras sit ultima tempore, ipsa tamen inter ceteras est praecipua dignitate, ut sicut Constantinopolitana civitas est nova Roma, sic Constantinopolitana Ecclesia secunda sit Romana, praelata per matris gratiam ceteris fororibus suis privilegio dignitatis, ut secundum evangelicam veritatem sint primi novissimi & novissimi primi. Nos igitur, qui per gratiam Redemptoris ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam ad apostolicam sedem obedientiam tamquam ad sinum reduximus matris suae, privilegium dignitatis ipsius intendimus integrum conservare, ne inde nascantur iniuriarum unde iura nascuntur. Et ideo licet dilectus filius nobilis vir VV. Campaniensis Princeps totius Achaiae provinciae & Canonici sancti Andree de Patras nobis instanter & humiliter supplicaverint ut dilectum filium A. electum sancti Andree de Patras ad sedem apostolicam accedentem, quem iidem Canonici in Archiepiscopum ejusdem Ecclesiae unanimiter elegerunt, eis concedere dignaremur, & quod circa personam illius factum fuerat approbantes, ad eos cum pleno remitteremus honore, volentes tamen sic eorum petitiones admittere ut aliis iura sua nequaquam subtrahere videamur, de communi fratrum nostrorum consilio quod per eosdem Canonicos factum est, tamquam minus canonicè procuratum, cum & ipsi minus canonicè instituti, non duximus approbandum; sed necessitate pariter ac utilitate pensata, postquam de veritate negotij & statu terrae per iuramenta sociorum ipsius electi effecti fuimus certiores, de potestate nobis à Domino in beato Petro concessa ipsum ejusdem Ecclesiae pastorem constituimus & rectorem, administrationem sibi plenariam tam in spiritualibus quam in temporalibus concedentes, & indulgentias insuper ad cautelam ut à quocunque catholico Episcopo se faciat, cum necesse fuerit, in Presbyterum ordinari. Licet autem de plenitudine potestatis quam habemus à Domino disponendi super Ecclesias universas, ipsum ad Ecclesiam eandem consecrationis munere ac honore pallei potuissemus insignitum remittere, quia sic te vocavimus in partem sollicitudinis quod nobis retinimus plenitudinem potestatis, nec

Vide Raynald.  
ad an. 1213.  
§. 43.

facimus cuiquam injuriam cum utimur jure nostro, volentes tamen tibi, cui Ecclesia de Patras noscitur esse subiecta, in tua maxime novitate deferre, ipsum ad te duximus remittendum, ut à te vel alio de mandato tuo in Archiepiscopum consecratus & pallei honore recepto, te post Romanum Pontificem patrem praecipuum recognoscat; dilecto filio Benedicto tituli sanctae Susannae Presbytero Cardinali apostolicae sedis Legato nostris dantes litteris in mandatis ut ea quae praemisimus circa personam ipsius, appellatione remota faciat adimpleri. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus ipsum consecrationis munere ac honore pallei non differas insignire; ne propter tum, quod absit, defectum ad nos cogatur habere recursum.

CIIII. Defuncto apud Constantinopolim Henrico Dandulo Venetorum Duce, Petrus Cianus apud Venetias est promotus in Ducem. Qui Abbatem sancti Felicis de Venetiis eligi fecit in Archiepiscopum Iadertinum, & auctoritate Patriarchae Gradensis confirmari & consecrari, mittens solemnes nuncios ad summum Pontificem pro palleo impetrando, quod ei altera vice fuerat denegatum. Memor autem offensae quam in destructione Iaderae Veneti commiserunt, taliter eis Dominus Papa rescripsit.

Apostolicae servitutis officium laudabiliter exercemus si, juxta quod docet Apostolus, arguimus, obsecramus, & increpamus in omni patientia & doctrina. Quia ergo pater filium quem diligit corripit, Deus quos amat arguit & castigat, idcirco dilectos filios nobiles viros Mar. & P. Quir nuntios vestros ad sedem apostolicam accedentes paterno corripimus affectu, vos in ipsis potius increpantes super multis & magnis offensis quas non solum in Deum & Romanam Ecclesiam, verum etiam in populum Christianum & nos ac proximos nostros nequiter commisistis, praesertim in Iadertinae civitatis excidio, ubi & vos devialistis & exercitum Domini deviare fecistis à dextera in sinistram, impugnantes populos Christianos, cum debuissetis expugnare perfidos Sarracenos, repellendo apostolicae sedis Legatum, & excommunicationis sententiam contemnendo, violato crucis voto in injuriam crucifixi; ut de multis iniquis operibus taceamus quae apud Constantinopolim perpetrastis, diripiendo Ecclesiarum thesauros, possessiones ecclesiasticas invadendo, volentes quasi hereditario jure sanctuarium Domini possidere; propter quod compositiones illicitas extorsistis. Dicite nobis quando vos tantum damnum reparare poteritis terrae sanctae, cum averteritis populum Christianum tam grandem, tam nobilem, tam potentem, adductum & congregatum tam magno studio & labore, tam magnis sumptibus & expensis, per quem proculdubio sperabatur quod non solum Hierosolymitana provincia recuperari deberet, verum & magna pars regni Babylonici occupari? Si enim sibi potuit Constantinopolim & Graeciam subjungere, quanto potius potuisset obtinere Alexandriam & Aegyptum, ac per hoc eripere terram sanctam de manibus paganorum? Certè licet gratum sit nobis quod Constantinopolis rediit ad obedientiam sacrosanctae Romanae Ecclesiae matris suae, gratius tamen nobis fuisset si Hierusalem reducta esset in potestatem populi Christiani.

Vide supra pag.  
19. col. 1.

Neque putetis quod ideo minimè peccaveritis quod civitas una vel altera tradita sit vobis & illis magis divino iudicio quam potestate mundano: quia saepe placet Deo passio flagellati quando displicet ei flagellans, sicut evidenter ostenditur auctoritatibus tam novi quam veteris testamenti. Non ergo nostræ duritiæ imputetis, sed vestræ ascribatis offensæ quod utique feret si ad petitionem vestram ei palleum largiendo, absque omni satisfactione tantam remisisse videremur offensam, cum iuxta sententiam Salomonis, in quo quis peccat, in eo sit puniendus. Quamvis hæc dilatio non tam pœna sit quam cautela, per quam & nobis & vobis intendimus providere. Licet enim in hac parte non peccaverint Iadertini, quia tamen metropolitana dignitas propter vestrum honorem specialiter fuit illis ab apostolica sede concessa, ut videlicet Ecclesia vestra non solo nomine sed pleno jure patriarchalem dignitatem haberet cum ei subjecta foret metropolis Iadertina, magis in hoc vestram culpam quam illorum pœnam volumus denotare, cum nec novum sit nec absurdum si quando puniantur subditi pro prælatis, sicut absque propria culpa punitus est populus Israël quando David in ipsius enumeratione peccavit. Hoc itaque vobis per nuntios vestros & per nostras litteras respondemus, ut vos ad satisfactionem Deo & nobis offerendam & exhibendam humiliter inclinatis, saltem illorum exemplo qui licet minus peccaverint cum ad hoc facinus perpetrandum per vos tracti fuerint, ad satisfaciendum tamen se nobis firmiter obligarunt; quatenus cum non excusando, sed accusando vestram offensam, divinam & nostram imploraveritis indulgentiam, ad satisfactionem vos congruam exponentes, nos, qui vestram quoad Deum speramus salutem, & vestrum quoad homines affectamus honorem, & in his & in aliis quæ dignis duxeritis postulanda vos exaudire curemus. Interim autem correctionem vestram æquanimitè expectantes, censuram illam suspendimus quam universorum penè sententia in vos asserit exercendam; ut cum Domino inspirante conversi fueritis, non solum remittamus vindictam, sed & gratiam impendamus. Nec se quisquam excuset quod his gerendis corpore non interfuit, si forsan his gestis etiam corde consentit; quia facientes & approbantes similis culpa condemnat. Placeant igitur vobis, dilecti filij, verba nostra, licet in cortice aspera, tamen suaviter in medulla: quia, sicut ille novit qui nihil ignorat, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta procedunt, ut sicut meliora sunt amici verbera quam oscula inimici, sic vos magis delectet patris correctio quam adulatio peccatoris. Non ergo vos pudeat sub illius humiliari potentia qui solo nutu potest humiliare superbos & humiles exaltare, concessam vobis victoriam non vestræ virtuti sed divinæ potentie ascribentes, quæ licet forsan occulto, iusto tamen iudicio per

Tom. I.

vos alios voluerit flagellare, scientes quod utrumque de cordis timore procedit. Nobis quoque cum devotione curetis obedientiam & reverentiam plenariam exhibere propter illius gratiam & honorem cuius, licet immeriti & indigni, vicem gerimus & locum tenemus; ut ipse vos in presenti protegat & exaltet, & in futuro glorificet & coronet, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. [Datum Ferentini Nonis Augusti anno nono.]

CV. Cum autem Latini jam pro majori parte Constantinopolitanum obtinissent etiam imperium, & in omnibus eis prosperè successisset, ita ut terror eorum quasi fulgur de cælo ceciderit, non solum in Græcos, verum etiam in paganos, ipsi de prosperitate nimis insolentes effecti, post vanitates suas liberè declinare cœperunt, & Deum ad iracundiam pravis operibus irritare. Vnde quid eis merito peccatorum suorum evenerit ex litteris Henrici fratris Imperatoris summo Pontifici destinatis perpendere licet manifestè.

Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Henricus frater Imperatoris Constantinopolitani, & moderator imperij, cum debita reverentia humili & devota, pedum oscula. Cum universum exercitus Christiani progressum & laborum peregrinationis nostræ seriem paternitati vestræ per multiplices litteras & nuntios frater meus & Dominus Imperator usque ad Martium elapsam novissimè satis lucidè significaverit, eventus nostros ex tunc prioribus multum dissimiles, immo peccatis nostris exigentibus nimis miserabiles, vobis tamquam patri & domino dignum duxi propalare. Contigit igitur Græcos, qui ex innata malitia & perfidia consueta post omne genus securitatis & cautionis proditori semper pronos se exhibent, statim post dimissionem nuntiorum ad vos ultimò directorum proditorem, quam pridem mente conceperant, rebellionem contra nos facta detegere manifestè. Quo comperto frater meus & Dominus Imperator opportunè paucioribus comitatus, quippe nobis per munitiones & marchias pro magna parte dispersis, contra caput rebellionis, Andronopolim videlicet, quæ est civitas Græciæ munitissima & montibus tantum interpositis Blacorum affinis populis, ulciscendi animam intendens, urbem regiam egressus est. Eramus enim tunc temporis sic divisi. Marchio Montisferrati ultra Thessalonicam erat cum multis; ego ex altera parte brachij sancti Georgij eram apud \* Andromiticum cum non paucis; Paganus de Aurelia & Petrus de Bracel versùs Nicæam ex eadem parte, E. de Tric. apud Philoppopolim cum pluribus, & alij alibi per loca & munitiones dispersi. Porro audito à Iohannitio Blacorum Domino quod Latini in tanta virorum paucitate civitatem prædictam obsedissent, quem etiam Græci in auxilium suum, occultè tamen, ut magis laederent, evocarant, irruit subito Blacus ille Iohannitius in nostros cum multitudine barbarorum, Blacis videlicet, Commanis, & aliis. Quibus etiam nimis improvise obviam exeuntibus nostris, & remotiis quam oporteret instantibus, per inimicorum insidias tandem vallatis undique, proh dolor! Dominus Imperator, Comes Lodovicus, Stephanus de Pertico, & quidam alij Barones & Milites,

\* Cod. vig.  
Mandromiticum

i ij

quod non sine sanguinearum lachrymarum effusione referre valeo, tanta obruti multitudine, non sine damno tamen illorum, ab inimicis intercepti sunt. Nescimus revera qui capti fuerunt, qui occisi. Accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis & fama veridica quod Dominus meus Imperator sanus teneatur & vivus, qui ab eodem Iohannitio satis, ut asseritur, pro tempore honorabiliter procuratur, cum quibusdam aliis, quos tamen adhuc expressè nescimus nominare. Sciat autem quod ab eo die quo Græcorum fines ingressi fuimus usque ad diem infelicis illius congressus, quantacunque nobis & nostris occurreret multitudo, licet aliquando nostri paucissimi fuerint, cum triumpho tamen semper & victoria recesserunt. Inestimabilem verò jacturam quam tunc nobis dolemus & plangimus accidisse, ex inconsulta nostrorum audacia & peccatorum nostrorum meritis credimus contigisse. Illi itaque qui elapsi è prælio manus inimicorum evaserunt, consilio abbreviato cum his qui ad tentoria servanda remanserant, absque alio damno ab obsidione recesserunt: quibus tendentibus in urbem regiam & tam inopinaliter desolatam tantam Dominus subito dedit consolationem ut quasi in momento omnes simul, quotquot dispersi fuerant, tamquam convocati à Domino, apud civitatem quandam quæ dicitur Rodesioch convenirent. Marchio tamen fideliter & victoriosè in suis marchis, R. de Tric, in suis partibus per Dei gratiam incolumis morabatur & indennis. Inspectis igitur ibidem nostrorum viribus, urbes & castella ex tunc munire cepimus, quæ contra Græcorum rebellionem posse tenere videbantur; & iter agentes, Constantinopolim usque profecti sumus. Licet itaque in personis amissis infortunium lugubre nobis acciderit, speramus tamen in Domino & audacter confidimus quod inimicorum nostrorum insidias & assultus diutiùs, volente Domino, sustinere poterimus, & etiam de longinquo subventionem & auxilium expectare. Ecce tamen quod verebamur accidit, & quod fama canebat publica quoque, per litteras ipsius Blaci confederationem ipsius cum Turchis & ceteris crucis Christi inimicis continentes edocti sumus, quas etiam à nobis cum nuntiis ipsius interceptas apostolarum vestro in utraque lingua transmisimus, licet graviùs expectato vulnus incurritur & ruina: cujus susceptionem vobis incumbere tamquam patri omnium & nostro patrono & domino nemo est qui ambigat; præsertim cum ob Ecclesiæ tantum unitatem reformandam & terræ sanctæ subventionem laboremus, quorum unum hætenus pendet ex altero, sicut communis omnium Christianorum in oriente degentium, & præcipuè venerabilium fratrum militiæ Templi & Hospitalis utriusque, qui nobiscum sunt, clamat assertio; ut non solum ipsius liberationem huiusmodi operetur redintegratio, verum etiam omnium paganorum & crucis Christi inimicorum confusionem omnimodam aperitissimè procurare videatur; sicut è contrà ejus disturbatio, quod Dominus avertat, non solum recuperandi partem amissam terræ sanctæ spem auferret, immo & illam quæ presenti Christiano cultui dedita est, proculdubio spem præciperet detinendi. Attendentes igitur, sicut à principio, imperfectum nostrum ad tam ardui propofiti celsitudinem minùs sufficere, ad vos tamquam

summum & præcipuum, immo unicum spei nostræ refugium & fundamentum, qui solus præ filiis hominum & Principibus & Regibus in quantalibet potestate constitutis nobis potestis succurrere, supplici & devota intentione & mente confugimus, ad pedes paternitatis vestræ prona humilitate prostrati, quanta possumus precum instantia cum lacrymis implorantes quatenus filiis vestris in tam arcto periculo constitutis, & præ cunctis viventibus consilio & auxilio vestro indigentibus, consuetum pietatis impendere non differatis affectum. quod tantò securiùs à paternitatis vestræ dulcedine postulamus quanto præter peregrinationis nostræ votum solemne pro Ecclesia Romana corpora nostra & vitas impendimus. In quo præter communem omnium Christianorum, qua tenemini, sollicitudinem nos paternitati vestræ & vos nobis tamquam Militibus vestris & Ecclesiæ Romanæ stipendiariis districtè novimus obligatos.

CVI. Adhuc etiam manus Domini non cessavit flagellare Latinos, ut vexatio eis tribueret intellectum, sicut præfatus Henricus frater Constantinopolitani Imperatoris & moderator imperij Domino Papæ rescriptit.

Statum, inquit, nostrum & rumores qualescunque pro nuntiorum opportunitate sanctitati vestræ dignum duximus revelare. Satis, ut credimus, vobis innotuit qualiter peccatis nostris exigentibus Dominus noster Imperator, occisa & capta magna parte suorum, quod sine cordis amaritudine & dolore maximo dicere non possum, à Comanis in bello Andrinopolitano captus fuerit. Postmodum cum Principes & Barones & Milites exercitus me imperij Baillivum elegerunt, egressus ex urbe regia cum exercitu Christiano, civitates & castella plurima, quæ nobis rebellia fuerant, subjugavimus, & munitis marchis nostris, circa festum sancti Remigij Constantinopolim reversi fuimus. In munitione verò cujusdam civitatis quæ Rossa dicitur, Th. de Tereramunda, virum utique strenuum & discretum, cum multis militibus & serjantis reliquimus; & dum morarentur ibidem, circa Purificationem beatæ Mariæ significatum est eis Blacos prope Rossam castrum quoddam occupasse. Qui de Rossa de nocte exeuntes armati, Blacos quos illic invenerunt occiderunt, & castro dejecto cum præda Blacorum & equitatus eorum, versùs civitatem suprædictam redire cæperunt. Quibus redeuntibus, ex insidiis prope Rossam occurrit multitudo Blacorum & Comanorum; & congressu facto ex utraque parte, proli dolor! ultione divina nostri ferè omnes occisi sunt vel capti. Illi verò quibus custodia civitatis deputata fuerat, circiter quadraginta milites de nocte recedentes cum serjantis ad nos sani redire; & sic Dominus flagellum flagello adiciens, meritis nostris perveris idipsam exigentibus, vultum indignationis suæ nobis ostendit. Veruntamen quia bellorum eventus fuit, est, & erit semper anceps, nec fieri potest quod semper bene cedat bellantibus, & sæpe tristitia lætis miscetur, non est desperandum virtuosis viris. Nam parvo tempore mutatur fortuna, & Dominus respiciet suos, & statim reddet optata gaudia desolatis. In rebus arduis virtus comprobatur, & robustos viros ipsa reddant pericula cautiore. Nam adversitas quæ bonis viris obicitur, non indicium reprobatioris,

• Cod. reg. servitibus

• Cod. reg. servitibus

sed probatio virtutis est. Nos ergo in his angustiis constituti, ad vos patrem omnium, immo ut verius loquamur, nostrum in hoc facto turbationis recurrimus, vestrum implorantes auxilium & consilium: quatenus opus nostrum à vobis misericorditer inceptum misericordius terminetis, quoslibet bonos modos pro facto operis nostri necessarios adinvenientes.

CVII. Eorum igitur infortuniis Dominus Papa compatiens, pro liberatione Imperatoris nuntium specialem ad præfatum Iohannitium cum his litteris destinavit.

Ex illa gratia speciali qua te glorificavimus inter omnes Principes Christianos uique adeo te diligimus ut ad tuum commodum & honorem efficaciter aspiremus, pro certo sperantes quòd tu in devotione sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris tuæ proficere debes incessanter, per cuius merita gloriosum acquisivisti triumphum adversus eos qui te nitebantur graviter molestare. Cùm igitur regium diadema & militare vexillum à nobis per Legatum apostolicæ sedis acceperis, ut regnum tuum beati Petri sit speciale, providere volumus diligenter ut ab hostium undique liberatus incursumus, tranquilla pace læteris. Noveris ergo, fili carissime, quòd ingens exercitus de occidentalibus partibus est in Graciam profecturus, præter illum qui nuper accessit. Vnde tibi & terræ tuæ debes summopere providere, ut dum potes, pacem ineam cum Latinis; ne si fortè ipsi ex una parte & Vngari ex altera te studuerint impugnare, non facile possis resistere conatibus utrorumque. Quocirca serenitati tuæ suggerimus & consulimus fidè recta quatenus cùm Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem dicaris tenere captivum, ita tibi provideas ut per liberationem ipsius veram & firmam pacem facias cum Latinis, ut ab impugnatione tua & terræ tuæ penitus conquiescant. Nos enim Henrico fratri eiusdem Imperatoris, qui Constantinopoli præest exercitui Latino-rum, per apostolica scripta mandamus ut ad pacem tuam pro liberatione ipsius Imperatoris Latinos inclinet & à tua molestatione cesset omnino. Inspiret itaque tibi Deus ut nostris monitis & consiliis acquiescas; quatenus regnum tuum, quod beato Petro & Ecclesiæ Romanæ devotissimè dedicati, ab omni perturbatione servetur illæsum, ad quod diligens studium impendere cupimus & operam efficacem.

CVIII. Præfatus verò Iohannitius sive Calo-johannes Rex Bulgarorum & Blacorum respondit quòd ipse audita captione regiæ civitatis miserat nuntios & litteras ad Latinos ut cum eis pacem haberet, sed ipsi ei superbissimè responderunt, dicentes quòd pacem non haberent cum illo nisi redderet terram ad Constantinopolitanum imperium pertinentem, quam ipse invaserat violenter; quibus ipse respondit quòd terra illa iustius possidebatur ab ipso quàm Constantinopolis possideretur ab illis. Nam ipse recuperaverat terram quam progenitores ejus amiserant; sed ipsi Constantinopolim occupaverant, quæ ad eos minimè pertinebat. Ipse præterea coronam regni legitime receperat à summo Pontifice; sed ipse qui se appellabat Constantinopolitanum Basileum, coronam imperij temerè usurpaverat à seipso. Quare potius ad ipsum quàm ad illum imperium pertine-

bat. Ideoque sub uno vexillo quod à beato Petro receperat ejus clavibus insignito, pugnaret ficialiter contra illos qui falsas cruces suis humeris præferabant. Provocatus igitur à Latinis, compulsus fuit ut defenderet se ab illis; deditque sibi victoriam insperatam Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; ipsamque victoriam beato Petro Apostolorum principi ascribebat. Dicitum autem Imperatorem ad consilium suum & mandatum summi Pontificis liberare non poterat, quia debitum carnis exolverat cùm

CIX. Audita fama nominis ejus, Gregorius Armenorum Catholicus & Leo Rex minoris Armeniæ litteras & nuntios cum muneribus Domino Innocentio transmiserunt, ad devotionem & obedientiam ejus se humiliter exponentes. Quibus Dominus Papa rescripsit hoc modo.

Gregorio Armeniorum Catholico. Ex eo te radicatum in fide catholica & Ecclesia catholica non tam nomine quàm merito experimur quòd apostolicæ sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium matrem & nos caput universorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie litterarum. Nosti enim privilegium beati Petri, quo ei Dominus universas oves suas pascendas vocabulo tertio repetito commisit, *Pasce*, inquit, *oves meas*, & super universas ligandi & solvendi contulit potestatem dicens ad eum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in calis. & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in calis.* Nosti enim prærogativam apostolicæ sedis, quæ per merita beati Petri, etsi non tempore, auctoritate tamen inter Apostolos primi, non constitutione synodica, sed divina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit & primatum, fundata super immobili fundamento de quo Paulus inquit Apostolus, *Fundamentum positum est præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus*, de quo veritas inquit ad Petrum: *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor unicus, & Ecclesia universalis ovile unum; de quibus Dominus in evangelio protestatur dicens: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Sanè lapis ille angularis quem reprobaverunt edificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens utraque unum, Iudæorum populos & gentium nationes in unitate fidei catholica connivit, Ecclesiam ex utriusque constituens non habentem maculam neque rugam; quæ ne post ascensionem ejus secaretur in partes, & ne unicum in ejus fide divideretur ovile, uni commisit Apostolorum principi gubernandum, quem solum sibi Dominus & in officio vicarium & in magisterio constituit successorem. Hæc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens quòd secundum Apostolum omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nos quos Dominus, licet immeritos, vicarios suos esse voluit & Apostolorum principis successores, caput Ecclesiæ confiteris, & te ac fratres & coepiscopos tuos partem nostri corporis recognoscis, sciens quòd sicut palme non potest fructum facere à semetipso nisi manserit in vite, sic & mem-

Vide supra cap. 74

\* Cod. reg. in cap. cere moratur

Vide lib. 2. epist. 251. 255. & lib. 5. epist. 42. & seqq.

Lib. 2. epist. 218.

Vide supra cap. 8.

brum & sensu caret & actu, si non in corporis permanserit unitate. Gaudemus ergo non modicum quod in fide catholica perseverans, circa nos pia geris devotionis affectum, & si ium te esse apostolicæ sedis innuis, dum eam esse matrem omnium protestaris, recognoscens ex nobis magisterium ecclesiasticæ disciplinæ, quam etsi receptam longo tempore prius, ex parte tamen per venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum & Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, suscepisse te gaudes & desideras observare. Fuit autem & est magnum tuæ devotionis indicium, quod eundem Archiepiscopum magnifice recepisti & carasti non modicum honorare, sicut & tuæ litteræ continebant & ipsius nobis relatio patefecit. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino ac per apostolica tibi scripta mandamus quatenus in devotione sedis apostolicæ firmiter perseveres, & in lege Domini die mediteris & nocte, quod sanæ doctrinæ congruit prædicans, & quæ prædicaveris quantum Dominus permittit adimplens, ut in te nec opera verbis nec verba operibus contradicant. Esto circa subiectos magister ut doceas, ut corrigas pater, mater ut foveas. Doceas minus doctos, superbos corrigas, humiles foveas & devotos, iustitiam misericordia temperans, & æquitatem in iudicio non relinquens. Super subventionem vero Hierosolymitanæ provincie nosse te volumus quod jam per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, in defensionem orientalis provincie opportuno tempore transiuri. Iam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificæ crucis assumpserunt vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur & esto robustus, quia citius forsam quam credatur orientalis provincia subsidium sentiet expectatum.

Lib. 1. epist. 110.

CX. Levoni Armenorum Regi illustri, Is Ecclesiam suam congregat ex gentibus non habentem maculam neque rugam & super gentes & regna constituit, is extendit palmites ejus usque ad mare, & usque ad terminos terræ ipsius propaggines dilatavit cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solum universis fidelibus prætulit, sed super ceteras etiam Ecclesias exaltavit, ut ceteræ ab ea non tantum vivendi normam & morum sumerent disciplinam, sed & fidei etiam catholicæ documenta reciperent, & ejus servarent humiliter instituta. In Petro enim Apostolorum principe, (cui excellentius aliis Dominus ligandi & solvendi contulit potestatem dicens ad eum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in calis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in calis*) Ecclesia Romana sedes ipsius & sutores ejus Romani Pontifices, successores Petri & Vicarij Iesu Christi, sibi invicem per successivas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus & cunctis Ecclesiarum Prælati immo & fidelibus universis à Domino primatum & magisterium acceperunt, vocatis sic ceteris in partem sollicitudinis ut apud eos plenitudo residet potestatis. Non enim in Petro & cum Petro singulare illud privilegium expiravit quod successoribus ejus futuris usque in fi-

nem mundi Dominus in ipso concessit; sed præter vitæ sanctitatem & miraculorum virtutes, par est in omnibus jurisdictionis successorum, quos etsi divisim temporibus, eidem tamen sedi & eadem auctoritate Dominus voluit præsidere. Gaudemus autem quod tu Princeps catholicus, apostolicæ sedis privilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem Archiepiscopum, & Episcopum Sabinensem, unum ex septem Episcopis qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benigne ac hilariter recepisti, & non solum per eum institutis salutaribus es instructus, quibus juxta continentiam litterarum tuarum totum regnum tuum, licet amplissimum, desideras informari & universos Armenos ad Ecclesiæ Romanæ gremium revocare, sed ad honorem & gloriam apostolicæ sedis, quam constitutam esse novisti super gentes & regna, diadema regni recepisti de manibus ejus, & eum cutasti devotè ac humiliter honorare, & nos per ipsum & litteras tuas ad orientalis terræ subsidium invitasti. Ei ergo à quo omne datum est optimum, & omne donum perfectum, qui habet corda Principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tibi tantæ humilitatis animum inspiravit, rogamus serenitatem regiam & exhortamur in Domino ac per apostolica tibi scripta mandamus quatenus in timore Domini & apostolicæ sedis devotione persistens, ad expugnandam barbariam paganorum & vindicandam injuriam crucifixi tanto potentius & efficacius studeas imminere quanto fraudes & versutias hostium vicinus positus melius cognovisti, non in exercitus multitudine aut virtute, sed de ipsius miseratione confidens qui docet manus ad prælium & digitos movet ad bellum, qui arcus fortium superat, & robore accingit infirmos. Iam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, & plures Domino dante recipient, opportuno tempore transiuri. Iam etiam duo ex fratribus nostris vivificæ crucis assumpserunt vexillum, exercitum Domini præcessuri. Confide igitur, & esto robustus, quia citius forsam quam credatur orientalis provincia subsidium sentiet expectatum.

CXI. Post hæc idem Rex quendam Militem cum litteris suis ad summum Pontificem destinavit, rogans & postulans ut cum super injuriis quas circa successorem principatus Antiochiæ Comes Tripolitanus cum Hospitalariis cuidam nepoti suo, Rupino nomine, irrogaverat, ad apostolicam sedem appellasset, faceret ei iustitiæ plenitudinem exhiberi. Cui Dominus per litteras suas ita respondit.

Ei à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, qui corda Principum habet in manu sua, & à quo est omnis potestas, quas possumus gratiarum referimus actiones quod te usque adeo in devotione sedis apostolicæ radicavit ut non solum in spiritualibus, sed in temporalibus etiam ad auxilium Ecclesiæ Romanæ recurras & in tuendis iustitiis tuis per appellationem interpositam opem ejus implores. Veniens enim ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir Robertus de Margato Miles nuntius tuus plenè nobis exposuit tuæ devotionis affectum, & regie serenitatis litteras nobis obtulit continentes quod cum R. quondam primogenitus filius nobilis viri R. Principis An-

Vide lib. 1. epist. 115.

riocheni A. neptem tuam duxerit in uxorem, ex ea mascula prole suscepta, dum ageret in extremis, eidem Principi supplicavit ut successorem quæ ipsi jure hereditario competeat, R. unico ejus filio conservaret. Qui post mortem filij, non immemor precum ejus, convocatis ligiis hominibus suis, quod dictus Raymundus legitimus fuisset heres ipsius, & post mortem R. prædicti R. filius ipsius Principis legitimus heres esset, publicè recognovit, & ei ab universis hominibus suis, salva fidelitate qua ei tenerentur dum vixerit, ligium fecit homagium exhiberi. Deinde quoque prædictum R. de civitate Antiochia & toto principatu Antiocheno tenendo post ejus obitum, salva dote I. uxoris ipsius, & omnibus donis quæ fecerat & in posterum est facturus, & dum vixerit, totius principatus dominio sibi salvo, salvavit, & eum Raymundum nomine patris appellavit, sicut in litteris ad nos à te transmissis perspeximus contineri. Ceterum nobilis vir Comes Tripolitanus filius Principis memorati molestè ferens se patria hereditate privari, cum dilectis filiis Hierosolymitani Hospitalis & militiæ Templi Magistris te voluit molestare, sed quod adversum te prevalere non posset inspiciens, conversus in Principem, favore Antiochenæ communitatis filius patrem exclusit, & domino suo contumelias præsumpsit & injurias irrogare. Interea etiam quidam amici Tripolitani Comitum corrupti pretio & precibus circumventi, Comitem ipsum legitimum heredem Principis asserentes, falsis suggestionibus obtinuerunt à populo memorato ut abjurato quodammodo juramento priori, eidem Comiti \* homagium exhiberent. Propter quod ad sedem apostolicam regia serenitas appellavit, & Templariis & Hospitalariis ad cor redeuntibus, Principem in sede restituit principali. Licet autem, quantum cum Deo possumus, tuæ velimus serenitati deferre, quia tamen in dubiis certum non volumus nec debemus proferre judicium, cum etsi etiam nobis de veritate constaret, in absentia tamen partis alterius nondum cepto judicio ad sententiam procedere non possemus, causam ipsam Legatorum nostrorum, qui dante Domino in proximo transfretabant, examini duximus reservandam, quibus & verbis & scriptis dabimus firmiter in mandatis ut ipsam diligenter examinent & sine personarum acceptione prævia ratione decidant, nolentes eam delegare iudicibus qui alterutri partium, & tuæ præsertim, esse possent de ratione suspecti. Rogamus igitur celsitudinem tuam & exhortamur attentius, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus communem causam privatæ præponens, & propriis commodis negotium præferens crucifixi, quantum in te fuerit pacem ad universos Christianos observans, ad defendendam hereditatem Domini & expugnandam barbariem Sarracenorum potenter intendas, nec ob hoc adversus Comitem vel alium bellum moveas, præsertim vivente Principe, qui, sicut in ejusdem litteris continetur, sic nepotem tuum de principatus successione salvavit ut sibi proprietatem & dominium quoad viveret retineret. Cum autem ad partes illas Legati nostri pervenerint, causam tuam non armis, sed legibus, non gladio vindictæ, sed justitia iudice prosequaris. Nos enim eidem Comiti per apostolica scripta mandamus ut causa ipsa

in suo statu manente, nihil in præjudicium juris alterius attentare præsumat, sed Legatorum nostrorum, quibus cognitionem & diffinitionem ipsius duximus committendam, expectet adventum. Ad hæc dilectum filium nuntium tuum serenitati regie propensius commendamus, ut de caro eum habeas de cetero cariorem. Præterea serenitati tuæ gratiarum referimus actiones quod nos per eundem nuntium tuum magnificè ac liberaliter visitasti.

CXII. Per eundem Militem misit ei Dominus Papa vexillum quod postulaverat ab eodem, scribens ei hoc modo.

Comitibus, Baronibus, Militibus, & populis universis in Armenia constitutis. Etsi modernis temporibus apostolica sedis receperitis instituta, secundum ea Domino in puritate cordis ac corporis fervientes, is tamen qui matutinos & vespertinos operarios vineæ suæ singulorum denariorum remunerat, faciens novissimos primos & primos novissimos, bravium vobis largietur æternum, si catholicam Ecclesiam sponsam veri Salomonis, sub cujus capite, secundum quod ipsa protestatur in canticis canticorum, lava ejus, & dextera ejus ipsam jugiter amplexatur, fueritis humiliter venerati, & usque adeo vos zelus domus Domini commoverit ut ad vindicandum injuriam crucifixi & templum & hereditatem ejus de paganorum manibus liberandam & res exposueritis & personas, Christum vobis vitam & mortem lucrum cum Apostolo reputantes. Gaudemus autem quod etsi nova sitis Ecclesiæ Romanæ plantatio, novitas tamen in vobis virtutis operatur augmentum, & usque adeo vos reddit in fide ferventes ut tanto ferventiores in Christianorum omnium immo Christi auxilium assurgatis quanto estis viciniore hostibus, & ex vicinitate melius & scitis & vultis eorum conatibus obviare. Nos autem de carissimis in Christo filij nostri Lievonis Armenia Regis illustri sinceritate ac vestra devotione confisi, ei ad petitionem dilecti filij nobilis viri R. Militis nuntij ejus in nostræ dilectionis indicium vexillum beati Petri dirigimus, quo in hostes crucis duntaxat utatur, & eorum superbiam suffragantibus Apostolorum principis meritis Domino concedente conculcet. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur in Domino, & in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus ad liberandum funiculum hereditatis dominicæ de manibus paganorum & eorum refrenandam audaciam & barbariem edomandam, cum eodem Rege vestro, sicut bene cœpistis, potenter & viriliter intendatis, ut ejus sitis remissionis participes quam de Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus transfretantibus indulgemus.

CXIII. Iterum idem Rex alium Militem ad sedem apostolicam destinavit, per quem talia scripta direxit.

Paternitatis vestræ litteras, quas per dilectum fidelem nuntium nostrum nobis direxistis, ea qua decuit reverentia & devotione suscepimus, & per earum significata pleno collegimus intellectu vos caritatis visceribus regiam majestatem nostram amplexari. Continebant etiam quod in devotione & amore apostolicæ sedis persisteremus; & in hoc semper perseverare cupimus & optamus, & testis est rerum effectus, dum de omnibus negotiis

Lib. 2. epist. 154.

\*Cod. Pod. hominum. Ita etiam in regibus.

Lib. 5. epist. 417  
Vide lib. 11. epist.



nostris ad sedem apostolicam appellamus. Misistis autem nobis per eundem nuntium nostrum vexillum sancti Petri in memoriam dilectionis sedis apostolicæ, quod semper ante nos portari contra inimicos crucis ad honorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ faciemus. Nuntius verò noster nobis insinuare curavit se benignè & honorificè à beatitudine vestra esse susceptum & tractatum, & quòd omnibus petitionibus nostris aures pietatis vestræ diligenter & efficaciter accommodastis; quòd quidem mellifluis litteris vestris perspicuè intelleximus. Super his omnibus prædictis sanctæ paternitati vestræ gratiarum exsolvimus actiones assiduas. Precari autem & exhortari nos voluistis ut contra conatus & violentias paganorum nos murum opponeremus ascendentibus ex adverso, quòd quidem qualiter hæc fecerimus, vestræ, prout credimus, non exat incognitam paternitati, atque de cetero pro lege nostra & defensione fidei Christianæ, munij vestra gratia, fortitudinis nostræ clypeum in manu forti & brachio extenso contra barbaricas nationes opponemus, quousque desideratum nobis subsidium mittatis. Mandastis sæpe & sæpius quòd teneremus pacem Antiochiæ & Comiti Tripolitano, quòd amoris vestri gratia nunc usque bene observavimus. Verùm nulli veniat in dubium quòd per Dei gratiam bene non habeamus posse Antiochenorum repugnantiam & audaciam refrenare. Quomodo autem & qualiter nuper adversum nos se habuerint, sanctam paternitatem vestram latere nolumus. Miserunt nuntios suos Comes Tripolitano & Antiocheni ad \*Rocomodin crucis inimicum & adversarium nostrum, & contra nos se ei alligaverunt, & machinati sunt ad invicem quòd Rocomodin crudelissimus ex una parte, Comes Tripolitano & Antiocheni ex altera, nos infestare non cessarent donec à regni solio nos eliminarent. Quòd cum audivimus, nostros missimus exploratores: qui tandiu insidiati sunt quoad usque ceperunt prædictos nuntios. Quibus ante pedes potentia nostræ adductis tremantibus & verentibus, rei veritatem aperta nobis voce exposuerunt. Deinde ad fines Antiochiæ accessimus; ibique per tres menses cum multo labore & sudore inviti plurima sustinimus. Post hæc quicquid voluerunt Antiocheni, non timore ipsorum, sed precibus vestris, molestè ferentes supplevimus. Eapropter in regno nostro non modica damna incurrimus, & à servitio Dei & Christianitatis nos declinare invitos oportuit. Venientibus autem desideratis Legatis vestris prævia divina potentia, in præsentia ipsorum rei certitudinem per eosdem nuntios, si vita eis communis fuerit, explicari faciemus. Ad hæc, sanctitati vestræ supplicamus ut diù expectatum & desideratum succurtum festinanter transmittatis. Magna etenim discordia inter barbaricas nationes est emersa, & deserviunt crudeliter adinvicem; & si antequam inter eos discordia fuerit reformata subsidium miseritis, Christianitas exaltabitur; & si, quòd absit, antequam veniat subsidium inter eos concordia fuerit reformata, non erit qui eorum violentiam valeat cohibere, & reliqua Christianitas vix aut nunquam poterit eis resistere. Super hoc quòd nobis scripsistis de negotio Rupini dilecti nepotis nostri, quòd absente alia parte super incerta nec vultis nec debetis præferre iudicium,

\* *Cod. Pod.*  
Noconodium,  
in *regest.* Rocomo-  
nod.

hoc decet sanctitatem vestram, hoc exigit universale jus. Verùm propulsati sumus non modica læticia eò quòd causam nostram in manibus Legatorum vestrorum commisistis & litteris & firmis mandatis, non in manibus personarum nobis suspectarum. Super quo sanctitati vestræ gratiarum exsolvimus actiones assiduas, & omnium conditori laudes referimus copiosas. Ad hæc, piissimam paternitatem vestram exposcimus & flexis genibus flagitamus quatenus cum Legatis vestris, de quibus non modicum confidimus, venerabilem Archiepiscopum Maguntinum ad succurtum terræ sanctæ, futurum in eadem causa nostra iudicem constituere dignemini, quia nihil est de quo nos magis lætificare possitis. Scripsistis etiam nobis quòd per litteras vestras misistis Comiti Tripolitano ut de alieno jure se subtraheret, quòd gratum duximus & acceptum, & vobis immensas gratiarum exsolvimus actiones. Sed sciatis nihil nobis profuisse, quia insidiatur ut lupus in absconditis, & non cessat die noctuque sibi quoque potest Antiochenos & pretio & precibus attrahere. Igitur sanctitatem vestram latere nolumus quòd mense Iulij exercitum nostrum coadunavimus contra barbaricas nationes, quas durissimè cum Dei auxilio laedere speramus propter discordiam inter eas emersam. In quo negotio missimus pro Templariis morantibus in regno nostro de possessionibus valentibus viginti milia byzantium ut venirent in auxilium nostrum ad honorem & defensionem Christianitatis. Qui Antiochiam usque venerunt, & nos in propria persona cum gaudio & exultatione usque ad fines Antiochiæ obviam eis exivimus. Ad hæc, destinavit nobis litteras Magister Templi ex parte vestra directas; quas cum vidissemus, eo quo decessit honore suscepimus. Quibus perlectis, per eorum tenorem intelleximus vos nos precari ut eis redderemus \*Gaston. Et nos in momento pro Magistro ac quibusdam fratribus suis missimus secundum preces vestras causa loquendi cum eis. Qui ad nos venientes, communicaverunt nobis colloquia. Post multas verò verborum nebulas rogavimus Magistrum Templi, ad supplendas preces vestras, ut ipse & Dominus Patriarcha Antiochenus & nos mitteremus nuntios nostros simul ad sedem apostolicam, quia per manus vestras ipsum Gaston, sopita omni occasione, Templariis reddere volebamus, & Rupinum dilectum nepotem nostrum ad nutriendum & custodiendum bona fide & sine malo ingenio in ipso castello eis tradere cupiebamus, & ut deberent semper esse auxiliantes prædicti pueri ad acquirenda jura sua, in quantum dignitas ordinis sui permitteret, & ut quodlibet damnum in regno nostro per ipsum castellum non contigisset; & donec nuntij nostri irent & redirent, precum vestrarum obtentu, quantum valebant redditus pertinentiarum ipsius castelli in corpore terræ nostræ Templariis restituere volebamus. Nos itaque & puer dilectus nepos noster hac conditione fieri confratres eorum quærebamus, & ad acquirendum aliud castellum nomine Trepesach, eis pertinens, cum omni gente nostra & viribus nostris eis similiter auxiliari volebamus. Videutes autem ipsi Templarij me tanto negotio circumventum, in humilitate nostra contritum, nos exaudire contempserunt; immo conventum quem ad partes regni nostri direxerant, redire mandaverunt.

Vide lib. 2. epist.  
259. & lib. 12.  
epist. 45. & Odo  
Raynald. ad an.  
1205. §. 18.

mandaverunt. Et nulli veniat in dubium quod precibus cujuslibet, exceptis vestris, ad hanc formam pacis de ipso castello pervenire nequissent. Misimus iterum eis, rogando ut pro Dei amore in regnum nostrum venirent, & ex quo non placebat eis nobiscum contra paganos exire, saltem Dei pietate regnum nostrum usque ad reditum nostrum recommendatum haberent. Qui in obstinatione sua perseverantes, neque hoc neque illud facere voluerunt: immo nobis exeuntibus contra crucis inimicos, regnum nostrorum luporum moribus austeritate sua reliquerunt. Tamen cum Dei auxilio salvi & sani redeuntes, invenimus terram nostram vestris precibus illasam & intactam. Ex hoc conquerimur Deo & vobis. Nam quid inde factum sit, vestra non extat incognitum sanctitati. Præterea nos obedientiam vinculis de cetero apostolicæ sedi esse alligatos non dubitetis. Ea propter, si placet sanctitati vestra, cuilibet alteri Ecclesiæ Latinæ nec volumus nec debemus alligari. Hinc est quod sanctitatem vestram humiliter flagitamus quatenus nobis litteras apertas mittere dignemini ut non teneamur, neque Latini de terra nostra, de qualibet conditione, excepta sancta Romana Ecclesia, cuilibet Ecclesiæ Latinæ, & quod non habeat potestatem nos seu Latinos de terra nostra excommunicandi vel sententiam in regno nostro proferendi super Latinos quælibet Ecclesiæ, excepta, ut dictum est, sede apostolica. Præsentium quoque latorem dilectum & fidelem nostrum Militem nomine Garnerum Teuto ad pedes sanctitatis vestra dirigimus, cui super his quæ ex parte nostra vobis dixerit, tamquam nobis ipsi credere ne dubitetis.

CXIV. Ad petitionem verò Regis Dominus Papa tale sibi scriptum indulsit.

Regiæ serenitatis devotio promeretur & sinceritas tuæ caritatis exposcit ut non solum tibi, sed toti etiam regno tuo spirituales gratias faciamus, & ob tuæ devotionis meritum totam Armenicam Ecclesiam honoremus. Bene enim præ ceteris prædecessoribus tuis, quorum extat memoria specialis, in nostra & Ecclesiæ Romanæ devotione persistis, & apostolicæ sedis primatum & magisterium recognoscens, ad eam velut ad matrem tuam humiliter & devotè recurris. propter quod ab ea debes rationabiliter honorari. Accepimus autem ex litteris quas regia nobis serenitas destinavit quod cum regnum Armeniæ alligatum sedi apostolicæ obedientiæ vinculis recognoscas, illud, sicut non debebas, ita etiam non volebas obligari cuilibet alteri Ecclesiæ Latinorum. Vnde petebas tibi per litteras apostolicas indulgeri ut præter Romanum Pontificem nullus Latinus in te vel regnum tuum vel homines regni tui, sive Latinos, sive alios, cujuscunque conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sententiam promulgare. Volentes igitur, quantum cum Deo possumus, tuæ serenitati deferre & cum honestate nostra petitiones regiæ exaudire, tuis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus ne quis in te vel regnum tuum aut homines regni tui, cujuscunque conditionis existant, qui mediantibus \* tamen ejusdem regni Prælati sedi apostolicæ sunt subjecti, præter Romanum Pontificem & ejus Legatum, vel de ipsius speciali mandato, districtiorem ecclesiasticam audeat exercere. Nulli ergo omnino homi-

Tom. I.

num liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere &c.

CXV. Rescripsit etiam Armenorum Catholico in hunc modum.

Quod die ac nocte in lege Domini mediteris, ex litterarum tuarum tenore cognoscimus, quas variis auctoritatum floribus decorasti, de thesauro cordis tui nova & vetera proferens, & hæc illis & illa istis doctis intermiscens, ut uberius juncti simul flosculi redolerent. Sanè licet didiceris ex verbis Apostoli quod omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, & quod cunctos quos sacri baptismatis unda regenerat fratres facit, quoniam unus est pater noster qui est in cælis, prout in evangelio veritas protestatur, in nobis tamen, qui beato Petro successimus, Christianæ fidei magisterium recognoscimus. Vnde secus fontem scientiæ fidei nostræ ac præceptorum legis & Ecclesiæ quiescere desideras & nutriris, ut sugas mamillas nostras quotidie & inebrieris lacte doctrinæ ab apostolica sede emanantis. Et licet loco quidem à nobis remotus existas, fide tamen nobis gaudes tam te quàm Armenicam Ecclesiam cunniri, cum ex illo sitis ovili de quo Dominus in evangelio protestatur, *Alia*, inquit, *oves habeo quæ non sunt de hoc ovili, & illas oportet me adducere; & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus pastor.* Oves enim hujus ovilis uni Dominus pastori commisit, Petro videlicet, cum inquit, *Pasco oves meas*, innuens per verbum tertio repetitum quod quicunque fidem habuerint trinitatis, in quacunque orbis partium regione, ac trino fidelium ordine, cum Noë, Iob, & Daniele, sive in lecto, sive in agro, sive in mola consistant, Petri magisterio sunt commissi. Gavius es igitur quod mater Ecclesiarum omnium, quæ totum orbem sua irradiat claritate, catholicam Armenorum Ecclesiam bono corde respiciens voluit consolari, in hoc illud impletum intelligens quod inquit Petro Dominus Iesus Christus: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Asseris quoque quod ab Ecclesia Romana fidem ab initio Armenica suscepit Ecclesia, quam tu & coëpiscopi tui & grex tibi & ipsis commissus non minuitis in aliquo nec auxistis, sed sicut accepistis, sic usque hodie inviolabiliter observatis, ejus tenentes consuetudines secundum sanctorum patrum præcedentium instituta. Nos igitur, qui vos diligere debemus ut nos ipsos, de tuæ fidei puritate gaudemus in Christo, & te velut venerabilem fratrem nostrum & magnum Ecclesiæ Dei membrum gerimus in visceribus caritatis, ac carissimum in Christo filium nostrum L. Armenorum Regem illustrem honorare disponimus & universam Armenorum Ecclesiam, utpote filiam sedis apostolicæ, specialiter confovere. Ne autem heres sit filius ancillæ cum filio liberæ, immo ne ancillæ filius heredis liberæ sibi amplius hereditatem usurpet, sed ancilla potiùs & ejus filius expellatur, posuimus signum Tau in frontibus gementium & dolentium; ita quod per Dei gratiam cruce signatorum exercitus Venerias jam applicavit pro parte majori, unde in proximo naves ascendent in terræ sanctæ subsidium transitura. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus in divini nominis

Lib. 5. epist. 45.

Lib. 5. epist. 45.

\* Cod. Fed. roman.

K

timore persistens, & in apostolica sedis reverentia perseverans, prædictum Regem & universam Armenorum Ecclesiam in lege Domini & in nostra devotione confirmes, & eis, sicut per alias litteras nostras mandavimus, formam apostolicæ remissionis exponas, & exhorteris ipsos attentius ut se murum pro domo Domini opponant ascendentes ex adverso, nec dubitent, si opus fuerit, pro illo fundere sanguinem qui pro eis non dubitavit crucis subire tormentum, cum sic possint sibi regnum acquirere sempiternum & terrena in cælestia laudabili commercio commutare. Expectent autem efficaciam de cælo auxilium & festinum de terra succursum, & spem suam ponant in eo qui est in se sperantium fortitudo, qui facit in tentatione proventum, & post lacrymationem & fletum exultationem inducit.

CXVI. Qualiter autem Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus de Antiochia processerit in Armeniam, & quàm honorificè ac devotè receptus fuerit tam à Rege quàm à Catholico necnon & personis ecclesiasticis ac mundanis, quòdque omnes ad obedientiam sedis apostolicæ se astrinxerint, litteræ Regis Armenorum ad Dominum Papam directæ declarant; in quibus tamen idem Rex de præfato Legato Domino Papæ conqueritur, & tam de facto Antiocheno quàm de negotio Templariorum multa narrantur quæ plenius & planius ex ipsarum lectione patebunt. Rex quippe scribit hoc modo.

\* Id est, Rom. Ecclesie, ut patet ex cap. 100. horum gestorum. In Armenico haud dubie erat Romana auctoritatis præfatio, aut quia simile, pro quo interpretis malè vertit imperij.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici & universali Papæ Leo per eandem & Romani imperij gratiam Rex Armenorum, sanctitatis suæ devotus & obediens, cum salute grata servitia & pedum oscula. Cùm constet vos, celeberrime Pater & Domine, totius sanctæ Ecclesie & religionis Christianæ curam & prælationem dante Domino gere, constat utique nos ad vestri refugium tamquam ad tutissimum receptaculum debere recurrere, in quo tota spes nostra & fiducia post Deum dependet, & à beatitudine vestra in nostris necessitatibus præsidium postulare. Proinde, clementissime Pater & Domine, ad pedes sanctitatis vestræ flexis genibus & cum omni supplicatione recurrentes, conquerimur & conqueri non cessamus de Domino Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali Legato vestro, nostris in causis suspecto, immo aperto adversario. Cùm enim ad partes regni nostri ex injuncta sibi legatione, tum pro reformatione pacis inter nepotem nostrum & Comitem Tripolitanum, qui contra justitiam & appellationem nostram ad apostolicam audientiam factam Antiochiæ principatum usurpaverat, ut creditur, accessisset, Dominus Iohannes Catholicus venerabilis in Christo pater noster cum quibusdam suffraganeis suis & clero, nos cum Baronibus & fidelibus nostris & pluribus nobilibus peregrinis astantibus, quanta potuimus honorificentia & veneratione ob vestri reverentiam illum suscepimus. Sequentibus diebus de obedientia Armenicæ Ecclesie ad sanctam Romanam Ecclesiam, ad quam jamdiu laboravimus, divina auxiliante gratia deliberavimus; & ad hoc cum multo labore induximus Ecclesiam Armenicam tempore pontificatus vestri, meritum vestrorum exigentia, ad quod progenitores nostri multis transactis tempo-

ribus inducere nequiverunt, ut ipse Petrus Cardinalis & rerum est testis effectus. Dominus Catholicus cum solemnitate celebri & obedientiam & reverentiam per manus ipsius Legati secundum litterarum vestrarum formam & mandatum sanctæ Romanæ Ecclesie & vobis exhibens, palleum à beatitudine vestra destinatum coram prædictis personis astantibus cum devotione omni & humilitate suscepit, promittens in ordine suo singulis quinque annis per nuntios suos secundum capitularia apostolicæ sanctam Romanam Ecclesiam visitare tamquam matrem & magistram omnium Ecclesiarum, & in cismarinis Conciliis seu in persona propria seu per nuntios suos interesse; & quòd non deberent celebrari Concilia ecclesiastica in cismarinis partibus absente eo vel nuntio suo, ab utraque parte statutum est. Quibus peractis, de reformatione pacis inter nepotem nostrum & Comitem Tripolitanum tractarunt; in quo tractatu apostolica scripta de commissione, \* ut causam de qua agebatur sine debito terminarent, quæ Dominus Soffredo tituli sanctæ Praxedis & Petro tituli sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus & Legatis delegatis, eidem Petro Cardinali repræsentavimus, confidentes secundum mandatum vestrum causam ipsam sine optato terminari. In quibus Dominus Soffredus Cardinalis absens pro negotio Christianitatis Accon erat, quem in tota causa æquitatis & justitiæ invenimus amatorem. Repræsentatis apostolicis scriptis, ut dictum est, causam nepotis nostri ei vices vestras gerenti commisimus, & ab initio causæ semper apostolicam appellavimus audientiam, & in iudicio ipsius causam ipsam commisimus, testibus Domino Patriarcha Antiocheno, Hospitalariis, Templariis, & aliis viris religiosis \* Nigromontanis. Ipse verò Petrus Cardinalis & Legatus, in quo nullam & verè nullam sperabamus habere suspicionem, Comiti Tripolitano, Templariis, & Antiochenis confederationem privatam faciens, parti nostræ fraudulenter detrahebat, & parti adversæ in nostri perniciem & jacturam assistebat, manum eis consilij & auxilij porrigens. Ex mandato itaque ipsius Legati, sub cuius \* specie decepti eramus, ad partes Antiochiæ secundo ac tertio accessimus pro pace reformanda. Comes Tripolitanus diverticula querens, ad diem statutum in causa nunquam accedebat. Cognita verò & intellecta fraude confederationis inite, ipsum Petrum Legatum suspectum, immo apertum adversarium habentes, ad apostolicam appellavimus audientiam, & causam nepotis nostri iudicio vestro commisimus, personam nostram, regnum & gentes nostras sub protectione Dei & vestra committentes. quod per privilegium à beatitudine vestra delegatum obtinere credebamus. Contigit igitur nocte quadam ante adventum ipsius Petri Cardinalis cum omni exercitu nostro, vendicantes hereditatem nepotis nostri, partes Antiochenorum defectu justitiæ infestantes, sicut Domino placuit, infra muros Antiochiæ in manu forti intravimus; & si ad effusionem Christiani sanguinis & incendium ipsius civitatis manus potentie nostræ extendere voluissemus, urbs Antiochena capta foret, sed pietate & Dei timore moti, & Christianitati miserando compatiens, Dominum Patriarcham Antiochenum ad nos accessitum inter nos & Antiochenos rogavimus

\* Raynaldus hie parat addi debere, lecta sunt, sed inauriliter.

De abbatibus Nigromontanis vide Osfor Raynald. ad 1207. §. 34.

\* Cod. reg. 67.

optatæ pacis esse mediatorem. Et dum de pace tractaretur, ecce Templarij, quos precibus & mandatis vestris honorabamus, & quibus in tota guerra deferebamus, salvaris possessionibus & tenementis illorum, quos amicos, non adversarios, tamquam viros religiosos, habere sperabamus, sine diffidentia facta contra nos dentes acuerunt, turrès munierunt, arma excusserunt, exercitum nostrum intra & extra muros civitatis Antiochenæ sagittaverunt, vexillum \*baldanum contra nos paraverunt, & quod gravius est, Christianum sanguinem effuderunt, postposito religionis ordine. Hi cum Comite Tripolitano & Antiocheno unanimes, perfido Soldano Alappiæ sunt confœderati; suis sic machinationibus ab acquiita hereditate sua nepotem nostrum pupillum, orphanum, sub protectione Dei & vestra deputatum, alienaverunt, & sic non expectatè vulnus ab hoste tulimus. Quod molestè ferentes, possessiones & tenementa quæ in regno nostro Templarij possidebant saisivimus, & à terra nostra illos eliminavimus. His ita peractis, Dominus Petrus Cardinalis Templariis confœderatus, inter nos & Templarios pacem reformare querens, nos ad restiturationem rerum Templariis nuper ablatarum primum viva voce, postea secundo ac tertio & scriptis & nuntiis instanter compellebat. Ad quod respondebamus dicentes: Parati sumus ad honorem sedis apostolicæ Templariis restituere nuper ablata, si in ordine suo promiserint se de cetero neque infra muros neque extra muros Antiochiæ justitiæ & recturæ nepotis nostri adversari, sed sint sicut viri religiosi salvi & securi in domibus & possessionibus suis. Contra quæ Templarii arrogantie stimulo suffulti, opponerant se muros Antiochiæ contra justitiam & directuram nepotis nostri semper defendere ordine postposito. Cùm verò de concordia inter nos & Templarios nihil profici posset, Dominus Petrus Cardinalis, absente Domino Catholico patre nostro & venerabili Antiocheno Patriarcha, super eadem causa Concilium celebravit, & post appellationem nostram iteratam ad apostolicam audientiam, sententiam excommunicationis in terram nostram promulgavit, salvis confessionibus infirmorum, baptisterio, & sepelitione mortuorum. Super eadem litteras suas cum sententia ad Dominum Catholicum Armenorum destinavit, ut ex abrupto per totum catholicatum sententiosa interdictio promulgaretur. [ Convenientibus itaque Catholico & principalibus suffraganeis catholicatus in unum, communicato diu consilio mirati sunt de tanta & tam subita exasperatione absente Catholico in Armenicam Ecclesiam facta; & reducentes ad memoriam hoc quod statutum fuerat inter Dominum Petrum Cardinalem & Iohannem Catholicum Armeniæ, quia de Concilio absens fuit ipse Catholicus, & sine consensu suo data est in \*diocesi sua à Cardinale interdictionis sententia, censuere patres nostri illam non tenere nec observari sententiam, dicentes: Qui de mamillis matris nostræ primò lac dulce & suave sugere sperabamus, nunc autem fel amarum & acetum potamus. Sperabamus imbre salutifero irrigari, non à grandinosis procellis tempestari. Qui verò nimium emungit, ut bene scitis, elicit sanguinem. ] Quæ cùm ad notitiam Domini Soffredi Cardinalis & Legati devenissent, molestè tulit, & habito consilio cum

Tom. I.

Domino Petro collegato suo ad se accedente, quia instantissimè ad audientiam vestram appellabamus, procellam in auram consilio Domini Petri Cardinalis convertere studuerunt. Sicque factum est ut ex mandato Dominorum Cardinalium, illustris Regis Hierusalem & Cypri, omniumque nobilium peregrinorum, menis Septembris ad partes Accon pro reformatione pacis inter nos & Antiochenos & Templarios nuntium nostrum nobilem Constantinum de Camardesio dilectum confanguineum nostrum delegaverimus, & mediante sapientia & discretionem Domini Soffredi Cardinalis juris & æquitatis amatoris pax reformata est inter nos & Templarios, sicut per litteras ipsius intelligere poteritis. Nos verò nunquam à mandatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ recessimus, nec vita comite recedimus; quamquam Dominus Petrus Cardinalis ab ea nos eliminare labore. Nos igitur, qui Dei & vestri gratia tempore pontificatus vestri nova sumus planta vestra facti, cupientes ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fructus odoriferos & suaves producere, ad pedes sanctitatis vestræ recurrimus, flexis genibus rogantes & deprecantes ut in iudicio Domini Petri Cardinalis & Legati, quem suspectum immo apertum adversarium habemus, causam nepotis nostri non committatis, & quòd nullam super nos & terram nostram habitantes, cujuscunque conditionis existant, ex injuncta sibi legatione potestatem de cetero habeat, & ut Templariis per apostolica scripta mandando præcipiatis ne de facto Antiocheno justitiæ ac directuræ nepotis nostri sint adversarij, sicuti non sunt Hospitalarij nec alij viri religiosi, & causam nepotis nostri, de qua sapiens dominationi vestræ scripsimus, non suspectis iudicibus, sed talibus personis committatis qui à recto tramite non declinent, sed æqua lance, auditis utrinque partibus, sine personarum acceptione iustum iudicium faciant quatenus exinde sanctam Romanam Ecclesiam ad ædificationem, non extirpationem novellæ plantæ vestræ sentiamus pervenisse, & per auxilij vestri gratiam delectabiles exitus manè & vesperi gaudeat se planta vestra recepisse.

CXVII. Catholicus verò tales litteras destinavit.

Reverendissimo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici & universali Papæ, Iohannes per eandem humilis Armenorum Catholicus, sanctitati vestræ devotus & obediens, cum debita obedientia & reverentia plena salutis gaudia. Ex ineffabili providentia Domini nostri, à quo bonum omne procedit, Armenica Ecclesia primatum & magisterium sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Deo sibi concessum recognoscens, filia ejus facta est devotissima, & nos, licet indigni, ministri ipsius, accedente Domino Petro tituli sancti Marcelli Presbytero Cardinali Legato vestro, ex injuncta sibi legatione ad partes catholicatus nostri, ubi illi ob reverentiam cum clero & grege à Deo nobis commissò obvias, quanta potuimus honorificentia illum suscepimus, & mutuis communicantes amplexibus & alloquiis, per manus ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis secundam litterarum vestrarum tenorem obedientiam & reverentiam exhibuimus, atque pallem à vestra beatitudine delegatum solennitate

x ij

\* Cid. reg. balfanum. Ped. & Funt. balfanum.

Quæ unci inclusa sunt, addita sunt ex annalibus Odinei Rayaldi.

\* Leg. diocesum suam

celebri ac cum omni humilitate suscipientes, promissimus in ordine nostro singulis quinque annis per nuntios nostros sanctam Romanam Ecclesiam tamquam matrem & magistram omnium Ecclesiarum visitare & in Conciliis cismarinis adesse; & quod in eisdem Concilia celebrari nobis absentibus vel nuntio nostro non deberent, ab utraque parte statutum est. Institutiones sanctæ Romanæ Ecclesiæ in parte suscepimus, & in parte propter absentiam suffraganeorum nostrorum longè latèque diffusam induciantes; & quia non sine magna personarum deliberatione hoc fieri poterit, convenientibus Prælatibus nostris vel majori parte ipsorum in uno tempore constituto, ipsorum ab assensu, ne in Ecclesia scandalum oriretur, constitutiones vestras, in quibus concordaremus, suscipere proposuimus. Ad omnia igitur mandata vestra promovenda nos fideles & devotos invenietis executores.

CXVIII. Legati verò super his Domino Papæ rescripserunt hoc modo.

Reverentissimo Patri & Domino plurimum metuendo Innocentio Dei gratia sanctæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Soffredus permissione divina tituli sanctæ Prædix & Petrus divina providentia tituli sancti Marcelli Presbyteri Cardinales, licet indigni, debitam & paratam in omnibus obedientiam. Dum eo tempore quo veni Accon ego Soffredus, treuga esset cum Saracenis & guerra gravis inter Regem Armeniæ & Comitem Tripolitanum & Antiochenos pro eo quod, sicut dicebatur, idem Comes Antiochiam injustè occupaverat, & ejecerat, assistentibus sibi ex majori parte civibus, ex magna parte nobiles civitatis, pro eo quia sibi jurare volebant contra juramentum fidelitatis quod præstiterant filio primogenito cujusdam Principis, requisitus ab utraque parte sæpius & instanter, habito consilio non semel sed sæpius cum Magistris Templi & Hospitalis, iter arripui versùs Antiochiam, ut ibi laborarem ad pacem & sedandam, sicut possem, discordiam. Scripseram etiam præfato Comiti & communi Antiochiæ secundum consilium prædictorum Magistrorum ut venirent vel mitterent honorabiles & prudentes viros, ut cum eis deliberare possem qualiter mihi esset procedendum usque in Antiochiam. Cùm igitur in festo beati Martini intrassem civitatem Tripolitanam, ad quem diem & locum eos vocaveram, nec mihi occurrerunt, sed nec etiam per rudas litteras respondere aliquid voluerunt. Laborans autem ultra, nisi ad utramque partem viros venerabiles Anteradensem & Bethlehemitanum Episcopos. Nam hiems invaluerat, & dicebatur mihi quia jam non erat tutum intrare mare. Sed nec sic responsum aliquid habere potui usque ad festum Purificationis. Tunc verò venit Princeps Tripolitanus, non propter me, sed ad negotia sua promovenda, prout ipsius opportunitas requirebat; cum quo colloquium in propria persona habere non potui, pro eo quia denunciatus erat excommunicatus per Hierosolymitanum & Antiochenum Patriarchas atque circumadjacentes Episcopos, sed, sicut ipse assererat, injustè, ideòque non gerebat se pro excommunicato. Per internuntium quoque mihi loqui volebat. Laboratum est autem ad concordiam inter ipsum & Hospitalarios super factò pro quo notatus erat ex-

communicatus; & post multam tergiversationem ventum est ad concordiam, in qua non est passus haberi mentionem nominis mei; quo mediante totum negotium firmatum fuerat, & sine cujus assensu Hospitalarij non poterant cum eo concordare. Steque ibidem jacui usque ad Dominicam Passionis. Cùmque sic fatigatus & delusum rediissem Accon, (Expectabam enim venturum stolium, nec volebam in ipsius adventu abesse) accesserunt autem multi nobiles viri de Francia, & tam ipsi quàm Rex Hierusalem, Magister Templi, & alij nonnulli institerunt mihi de pedibus non modicum laboranti ut navigarem cum ipsis Antiochiam. Nam si ego irem cum eis, ipsi parati essent mecum venire pro concordia in Antiochia ponenda. Acquivi eis continuo, licet æger pedibus; sicque navigavi ego & Magister Templi, Generalis Præceptor Hospitalis, Stephanus de Perico, Comes \* Moncia de Vngaria, & nuntius Marchionis Montisferrati, qui venerat in terram. Applicuimus proinde auctore Domino ad portum Antiochenum. Rex autem Armeniæ applicuerat circa pertinentias Antiochiæ. Secunda die intravimus terram Antiochiæ. Quo audito, festinanter misimus ad eum nuntium & litteras ut pro reverentia Romanæ sedis & nostra differret lædere terram usque dum loqueremur ei. Expectavit triduo. Venimus ad eum tertia die, & iterum obtinuimus dilaciones ab eo per novem dies quibus expectamus Hierusalem Regem venturum. Laboravimus interim adinvenire viam pacis ante omnia. Rex Armeniæ offert se ad justitiam; & instanter per me, immo per vos, eam nepoti suo orphano & matri ejus viduæ instanter & humiliter postulat exhiberi. Requiritur ipse ut acquiescat judicio Baronum qui venturi erant; ecce proponit ipse quia ab Ecclesia Romana requisierat justitiam, quam vos in adventu nostro per me & collegam promiseritis exhibendam, & nostrum esset quorumcumque vellemus uti consilis. Nam ipse non committebat se nisi in judicio nostro principaliter, immo in nobis vestro. Accessit autem spiritus iniquitatis, & eorum corda subvertit & avertit ab unitate nostra, qui pro concordia credebatur accessisse. Cœperunt quippe dicere constanter quòd hoc judicium ad nos non pertinebat, sed neque ad Ecclesiam Romanam. Quorum consiliis innixus qui dicebatur Princeps secundum ipsum constanter proponebat. Sicque facti sunt cor unum & anima una in itinere quòd dictus Princeps vix aliquid vel agebat vel respondebat nisi illorum consilio informatus; excepto uno ex his qui mecum venerant, qui fideliter & prudenter mihi assistit in toto negotio. Obtulerat insuper Rex Armeniæ viginti millia armatorum ad servitium Christianitatis, si pro nepote suo orphano & matre ejus vidua justitiam posset obtinere. Videbatur mihi petitio ejusdem Regis justa & admittenda, oblatio quoque utilis multum & fructuosa Christianitati. Sed cùm haberem contradictores illos quos coadjutores esse sperabam, videns me quasi solum, recessi cum illo unico qui mihi assistebat; & veni Margatum, ubi laboravi sicut Deus voluit usque ad mortem, usque dum venit Dominus Cardinalis in Cyprum, & tandem Accon; ubi occurri sibi, multis litteris requisitus ab ipso, licet adhuc essem multimoda debilitate infirmitatis op-

\* Cod. reg. Mœcia

pressus. Dominus autem Cardinalis, expeditis aliquibus negotiis apud Acon, ivit in Antiochiam, & usque in Armeniam; ubi quid fecerit, & qualiter malitia in partibus illis diabolo instigante creverit, ipse vobis prudentius enarrabit. Ego vero Petrus tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis infansu paternitati vestrae dilectus in Christo Pater Dominus Soffredus tituli sanctae Praxedis venerabilis Cardinalis apostolicae sedis Legatus ea quae circa hoc negotium vestrae dilectus in Christo Pater Dominus Soffredus tituli sanctae Praxedis venerabilis Cardinalis apostolicae sedis Legatus ea quae circa hoc negotium ipse inspexit, & qualiter ipse processit in eo postquam ipse rediit a partibus Antiochiae. Et ego cum nuper venissem ad partes Aconenses vocatus pluries tam ab illustri Rege Armenorum quam a Comite Tripolitano seu Principe Antiochiae & civibus Antiochenis pro discordia dicta sedanda, si datum esset desuper, ad partes Antiochiae accessi, & circa negotium istud triplicem viam tentavi. Primo si ex consensu partium aliqua posset provenire concordia; circa quam cum diutius laborassem, nihil profeci. Secundo, ut partes permitterent se Domino Cardinali & mihi, quatenus secundum iustitiam & aequitatem concordarem vel iudicarem: & cum super hoc cum utrisque diutius laborassem, nihil profeci etiam per tres menses. Tandem tertio, quia non videbatur necesse ut quareremus a partibus quatenus se nobis committerent, sed tantum ex officio nostro offerremus utrique partium, si quid vellent proponere, nos esse paratos iustitiam exhibere, ad exonerationem vestram, Romanae Ecclesiae, Domini Cardinalis, & meam obtuli Domino Regi vestras litteras, quibus Domino Soffredo & mihi mandabatis ut negotium illud terminarem iustitia mediante, quod parati eramus Dominus Cardinalis & ego ad iustitiam faciendam & exhibendam secundum mandatum, neque per nos aliquem sustineret defectum pro nepotis iustitia consequenda. Ipse autem Rex tunc ait quod referebat grates de eo quod sibi sibi offerebam, & vobis & Ecclesiae Romanae & nobis duobus; sed addidit quod Antiocheni inferebant ei violentiam: ideo petebat ut prius amoveremus dictum Comitem seu Principem a possessione civitatis & principatus Antiochiae, & postmodum deberemus ei iustitiam exhibere. Cui cum respondissem quod hoc secundum iustitiam facere non possemus antequam in iudicio constitutus proponeret pro parte sua hoc ipsum & alias rationes quas vellet, aiebat ipse Rex: Vos estis Vicarii Apostolici, ego Rex Armeniae. Pono in vobis, Domini S. & P. Cardinales, negotium nepotis mei & sororis meae; & petimus a vobis & habere volumus talem iustitiam & consequi qualem Dominus Papa nobis faceret si essemus in praesentia eius pro vidua & orphano sub protectione apostolica constitutis. Videtis vim, violentiam & iniustitiam quam Comes affert nepoti nostro orphano & sorori nostrae ejus matri viduae. Sitis securi de Antiochia, & plenam ejus suscipientes potestatem habeatis, ut cuicumque partium adjudicaveritis, firmum permaneat & illibatam. Cui cum respondissem quod ad nostrum pertinere officium super hoc providere, sed procederet, si placeret, in causa, & nos parati essemus etiam compellere partem alteram ad sistendum iudicio, super facto ipso non processit, cum tamen ego exposuissim & continuo exponerem nos

paratos ad iustitiam exhibendam. Hoc etiam obtuli Antiochenis, si aliquam vellent proponere querelam. Et tandem habitis cum utrisque infinitis contentionibus & verbis, quae longum esset enarrare, de consilio Patriarchae, Archiepiscopi \*Borsensis, Episcoporum, Capituli, & Abbatum Antiochensium Ecclesiae, necnon Domini Cremonensis, & aliorum qui mecum aderant, utrique parti ex parte Dei omnipotentis & sanctae Romanae Ecclesiae & totius Christianitatis & nostra, scilicet Legatorum qui eramus in terra, firmiter inhibui ne aliquo modo aliqua partium contra aliam guerram moveret ex quo defectum iustitiae non inveniebant, & nos parati eramus ad utrisque iustitiam exhibendam, & guerra ipsa in totius Christianitatis & maxime orientalis terrae dispendium proveniret. Dum vero reversus esset Acon Dominus Cardinalis, institit nobis Comitissa Flandriae, quae advenerat, & alij peregrini, ut iterum non cessarem laborare pro jam dicta pace. Deliberatum est postmodum per nos, Hierosolymitanum Regem, Templarios, Hospitalarios, & nobiles qui aderant peregrinos, ut per nuntios & litteras nostras tam ipsi quam nos convenire deberemus atque citare supradictos omnes ut absque ulla conditione se committerent iudicio nostro, postulassent securitates, obfides & tenimenta praestare in manus nostras pro recipiendo & observando iudicio nostro, & quaecumque partium hoc non faceret, nos eam persequeremur tamquam inimicam Christianitatis & spiritualiter & temporaliter. Misimus proinde cum litteris nostris, nos, Rex Hierusalem, atque Barones peregrini venerabilem Cremonensem Episcopum, qui partes praesentatis litteris nostris moneret ad ea quae scripsimus faciendum, & quicumque haec non faceret, ipse sententiam excommunicationis ex parte nostra promulgaret in eum. Accessit itaque ad eos, & singulis requisitis, ut praedixi, Rex Armeniae obtulit pro reverentia vestra \* & nostra treugas quadraginta dierum, quae ab altera parte non fuerunt receptae: immo cum nuntius qui ad nos venturus erat ex parte ipsius Regis pro faciendo mandato nostro, postulasset securitatem, quia per partes inimicorum oportebat eum transire, denegatum sibi fuit omnino. Ipse tamen, sicut Dominus voluit, illaesus ad nos usque pervenit cum plenitudine mandati quod acceperat a domino suo. Continebatur quippe in litteris Regis quod quicquid nuntius ipse faceret, Rex firmum haberet, & tamquam a se factum firmiter observaret. Sicque de facto Templariorum, pro quo Rex excommunicatus fuerat & terra ejus interdicto subiecta, juravit stare mandato nostro, sicut motis est, super animam suam & Regis, & mandatum quod nos iuste fecimus ipse humiliter suscepit. Tandem de facto Antiochiae obtulit se facturum idem nuntius tantum pro Rege quod nos reputarem satis esse. Et quia Comes Tripolitanus neque venit neque misit, sed nec etiam scripserat aliquid quod pondus, ut dicebatur, haberet, postulavit a nobis excommunicari Comitem, inhiberi sibi Christianorum & maxime Templariorum & peregrinorum auxilium, qui haecenus auxilium praestiterant & favorem longe aliter quam deceret & quam contineret statum vestrum cum multa deliberatione factum, quod utique non esset provocare Regem

\* Cod. reg. Thor-  
sensis. Vorre,  
Tharsensis.

Vide Raynal. ad  
an. 1105. §. 34.

\* Hic de finit. co-  
dex regius.

\* Cod. reg. & Pod.  
nepl. Sic etiam  
pauli poss.

ad obedientiam Romanæ sedis, sed procul repelere ultro se offerentem. Ad convincendam quoque duritiam & contumaciam Comitis allegabat idem nuntius quod cum venisset Episcopus Tripolitanus, & ex majiori parte Canonici tepidi nimium & remissi, & Notarius ejusdem Comitis ad præsentiam nostram, nulla ratione excusationem haberet, sed neque excusationis colorem super eo quod mandatis nostris non paruerat. Nos autem respondebamus quod difficultas hæc non proveniebat nisi ex quodam casu inopinato, scilicet quia eramus in procinctu recedendi de terra & eundi Constantinopolim pro consilio & auxilio peregrinis qui ibi pro Christianitatis servicio laborant. Cui excusationi dum ego pro honestate Romanæ Ecclesiæ incumbi in publico, tandem ego Soffredus advocatis seorsum Domino Cardinali, Casariensi Archiepiscopo, Episcopo Cremonensi, & Acconensi electo, firmiter proposui eis quod ego coram Deo & eis de hoc facto excusatus esse volebam, & videbatur mihi pro certo quod instantia prædicti nuntij justa esset & admittenda, & ego paratus etiam, si placeret Domino Cardinali, quod petebatur efficere, pro eo quod sic fuerat communi deliberatione nostra, Hierusalem Regis, Templariorum, Hospitalariorum, Baronum, peregrinorum qui Accone aderant, irrevocabiliter statutum atque firmatum, nec decebat taliter & sic solenniter statutum pro utilitate Christianitatis inefficax esse & illusorium.

CXIX. Quia verò Legati de partibus illis recesserunt Constantinopolim accedentes, Dominus Papa causam commisit de Lucedio, de monte Thabor Abbatibus, & nobilibus viris Comiti Bertocob & G. de Farnivale, hoc modo.

Etsi semper inter eos odium sit mortale qui tentent amare proximos ut seipsos & inimicos etiam diligere propter Deum, hoc tamen tempore discordia inter nominis Christiani cultores, constitutos præsertim in partibus transmarinis, non solum ipsis, sed Ecclesiæ generali tanto amplius est damnosa quanto pro eam negotium terræ sanctæ potius impeditur. Vtique adeo enim inimici nominis Christiani, qui nunc peccatis exigentibus detinent & coinquinant templum Dei, urbes & castra quæ se de Christianorum manibus extorhisse in gladio gloriantur, viris & viribus munerunt quod sufficeret dispersionis nostræ reliquiis, etiam si conjugatis manibus, uno animo & pari desiderio ferrentur in hostes, si possent crucis injuriam aliquatenus vindicare ac hereditatem Christi liberare de manibus paganorum. Verum ipsi hoc minus quam deceat attendentes, quasi neglecta prorsus injuria crucifixi, proprias injurias persequuntur, & voluntati communi voluntates privatas in totius Christianitatis dispendium anteponunt, sicque se odio prosequuntur iniquo, & sic ab invicem sunt divisi, ut propter eorum discordias terræ sanctæ verbum sit evangelicum non modicum formidandum, quo dicitur: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Ecce enim occasione discordiæ quæ inter carissimum in Christo filium nostrum Leonem Regem Armenorum illustrem nomine sororis suæ viduæ & nepotis orphani ex una parte ac nobilem virum Comitem Tripolitanum ex altera super principatu Antiöchiæ vertitur,

impeditur quasi penitus terræ sanctæ profectus, cum ipsi pugnantes adinvicem hostes crucis nequeant impugnare, aliique facientibus sibi cum partibus portionem, & quæstionem illorum reputantibus causam suam, reliqui laborant incassum, ut inter discordes, concordiam reformare. Nos autem jampridem his malis obviare volentes, causam hanc dilectis filiis Soffredo tituli sanctæ Præxedis & Petro tituli sancti Marcelli Presbyteris Cardinalibus apostolicæ sedis Legatis commissimus terminandam. Sed ipsi, licet nec labores propter hoc vitaverint nec expensas, immo utraq; personæ & ambo diutius laborassent, in nullo tamen apud partes, quia non datum fuerat desuper, profecerunt. Nuper ergo idem Rex per suas nobis

\* litteras intimavit quod per Legatos nostros non poterat justitiam obtinere, licet eam sæpius postularit & semper paratus fuerit stare juri. Unde cum ipse mandatis Legatorum ipsorum, qui eum pro multo minori negotio excommunicaverant & interdixerant terram ejus, tandem humiliter parvississet, postulabat ne repellere ipsum pulsatem ad apostolicæ sedis januam & justitiam postulantem, cum simus omnibus in justitia debitores. Nos igitur attendentes quod apud nos esse non debeat acceptio personarum, & quod inter virum & virum facere justitiam teneamur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus partem convenientes utramque, diligenter commovere curetis ut vel inter se super eodem principatu conveniant, vel in arbitris compromittant, qui usque ad tres menses post commotionem vestram debeant arbitrari. Alioquin vos ex tunc, partibus convocatis, audiat utrinque proposita, & causam ipsam sublato appellationis obstaculo, si partes consenserint, terminetis. Alioquin remittatis nobis causam sufficienter instructam, partibus terminum præsentibus quo per responsales idoneos nostro se conspectui præsentent sententiam recepturæ. Verum ne iudicio simul experiantur & bello, partes ad treugas interim conservandas auctoritate apostolica compellatis. Quod si alterutra partium se exhiberit contumacem, in eam spiritualiter & temporaliter per vos & omnes Christianos qui in partibus illis existunt quanto districtius poteritis procedentes, inhibeatis tam carissimo in Christo filio nostro Regi Hierosolymorum illustri quam Hospitalariis & omnibus communiter Christianis ne parti contumaci auxilium vel favorem impendant, sed subtrahant potius, & parti quæ parata fuerit stare juri viriliter & potenter assistant. Quod si non omnes & c. tres vel duo saltem, quorum unus sit laicus, alter clericus, mandatum apostolicum exequantur. Veruntamen volumus & mandamus ut si quis interim in patriarchatu Hierosolymitano fuerit institutus, his vobiscum exequendis interfit.

CXX. Anno septimo pontificatus Domini Innocentij Papæ III. mense Novembri Petrus Rex Aragonum ad apostolicam sedem accessit ut ab eodem Domino Papa militare cingulum & regium acciperet diademata. Venit autem per mare cum quinque galeis, & applicuit apud insulam inter Portum & Hostiam, adducens secum Arelatensem Archiepiscopum, Præpositum Magalonensem, cum quibus interfuit electus Montis majoris, & alij quidam Clerici nobiles & prudentes. Proceres

\* Extant suprad. cap. 116.

Vide Raynald. ad an. 1204. §. 71. 1247. §. 16. 1252. §. 20.

quoque secum adduxit Sancium patrum suum, Hugonem de Baucio, Rocelinum de Marsilia, Arnoldum de Fotiano, & alios multos nobiles & potentis. Missis autem ad illum equitaturis & somnariis penè ducentis, fecit eum apud sanctum Petrum ad præsentiam suam idem Dominus Papa venire, mittens in occursum ipsius quosdam Cardinales, Senatorem urbis, & alios multos nobiles & magnates; fecitque illum apud sanctum Petrum in domo Canonicorum honorabiliter hospitari. Tertio verò die, in festo videlicet sancti Martini, præfatus Dominus Papa cum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, Primicerio & Cantoribus, Senatore, Iustitiariis, Iudicibus, Advocatis, & Scriuariis, multisque nobilibus ac populo copioso, ad monasterium sancti Pancratij martyris prope Trans Tyberim est profectus; ibique præfatum Regem per manus Petri Portuensis Episcopi fecit inungi, quem postmodum ipse manu propria coronavit, largiens ei regalia insignia universa, mantum videlicet, & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram, corporale ab eo recipiens juramentum, cujus tenor est talis.

*Ego Petrus Rex Aragonum profiteor & polliceor quod semper ero fidelis & obediens Domino meo Papa Innocentio ejusque catholicis successoribus & Ecclesia Romana, regnumque meum in ipsius obedientia fideliter conservabo, defendens fidem catholicam, & persequens hæreticam pravitatem. Libertatem & immunitatem Ecclesiarum custodiam, & earum jura defendam. In omni terra mea potestati subiecta pacem & justitiam servare studebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia.*

CXXI. Deinde præfatus Rex cum multo laudis præconio & favoris applausu coronatus rediit juxta Dominum Papam ad basilicam sancti Petri; super cujus altare sceptrum & diadema deposuit, & de manu ejusdem Domini Papæ militarem enssem accepit, regnumque suum beato Petro Apostolorum principi obtulit, illudque sibi constituit censuale per privilegij paginam quam eidem Papæ tradidit super ipsum altare, cujus tenor est talis.

*Cum corde credam & ore confitear quod Romanus Pontifex, qui est beati Petri successor, Vicarius sit illius per quem Reges regnant & Principes principantur, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit dabit, ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barcinone, & Dominus Montispessulani, cupiens principali post Deum beati Petri & apostolica sedis protectione muniri, tibi, Reverendissime Pater & Domine summe Pontifex Innocenti, & per te sacrosancta Romana Ecclesia offero regnum meum, illudque tibi & successoribus tuis in perpetuum divini amoris intuitu & pro remedio anima mee & progenitorum nostrorum constituo censuale, ut annuatim de camera Regis ducenta quinquaginta massenutina apostolica sedi reddantur, & ego ac successoribus mei specialiter ei fideles & obnoxij teneamur. Hoc autem lege perpetua servandum fore decerno, quia spero firmiter & confido quod tu & successoribus tui me ac successoribus meos & regnum prædictum auctoritate apostolica defendetis; præsertim cum ex multo devotionis affectu me ad sedem apostolicam accedentem tuis quasi beati Petri manibus in Regem duxeris solemniter coronandum. Ut autem hæc regalis concessio inviolabilem obrineat firmitatem, de consilio procerum curiæ meæ, presente*

*venerabili patre meo Arelatensi Archiepiscopo, & Sancto patre meo, & Hugone de Baucio, & Arnaldo de Foiano Baronibus meis, sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud sanctum Petrum anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quarto, tertio Idus Novembris, anno regni mei octavo.*

CXXII. His omnibus rite peractis, fecit eum Dominus Papa per urbem ad Ecclesiam sancti Pauli deduci; ubi galeas inveniens præparatas intravit, & apostolica benedictione munitus ad propria meruit cum prosperitate redire. Super coronationem verò Regum & Reginarum Aragoniæ in posterum faciendam tale sibi privilegium Dominus Papa concessit.

Cum quanta gloria & honore, tripudio & applausu regium regni Romæ de manu nostra in monasterio beati Pancratij susceperis diadema, postquam per venerabilem fratrem nostrum Petrum Portuensem Episcopum in Regem fecimus teinungi, tua sublimitas non ignorat. Ut autem dilectionis nostræ affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis evidentius monstraremus, regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram ad opus tuum, non minus pretiosa quam speciosa, fecimus præparari, & ea liberaliter tibi donavimus in signum gratiæ specialis. Tu verò, tamquam devotus Princeps & catholicus Rex, super altare beati Petri Apostolorum principis regnum tuum nobis & per nos apostolicæ sedi cum multo devotionis affectu per privilegij paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale, firmiter promittendo quod juramentum fidelitatis & obedientiæ in coronatione tua nobis exhibitum inviolabiliter observabis, & ad illud exhibendum & observandum successores tuos obligari volebas. Nos igitur gratiam tibi à nobis exhibitam ad successores tuos derivari volentes, præsentium auctoritate concedimus ut cum ipsi decreverint coronari, coronam à sede apostolica requirentes, de speciali mandato per Tarraconensem Archiepiscopum apud Casaragustam solemniter coronentur, præstita super prædictis idonea cautione. Et quoniam jure civili statutum est ut mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentium auctoritate concedimus ut per manus ejusdem Archiepiscopi eas liceat coronari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc. [Datum Ferentini xv. Kal. Julij, anno nono.]

CXXIII. Anno decimo, celebrato festo Ascensionis, Dominus Papa Urbem exivit, & venit Viterbium, receptus à Viterbiensibus cum ingenti gaudio, gloria, & honore. Statim autem cepit videre ad eliminandam Patarenorum spurcitiã, qua Viterbiensis civitas erat vehementer infecta; ne Ecclesiæ Romaniæ exprobraretur quod in oculis suis & in patrimonio quoque suo sustineret hæreticam pravitatem, nec liberam frontem habebat super hoc alios arguendi dicentes: *Medice cura teipsum. Eice primum trabem de oculo tuo, & tunc eicies festucam de oculo fratris tui.* Patarni verò, cognito ejus adventu, omnes omnino fugerunt. Sed ipse convocatis Episcopo & clero civitatis ejusdem, fecit diligenter inquiri ac studiosè

Apud Raynald.  
ad an. 1206. 34.

\* Apud Raynald.  
apostolica sedi off.

\* Cod. Pad. &  
ejus Raynald.  
massenutina

Cod. Pad. impro-  
peratur



describi omnes receptatores, fautores, defensores, & credentes eorum; ac demum per Potestatem & Consules fecit universos astringi, præstita juratoria, fidejussoria, & pignoratia cautione quod suis per omnia jussionibus obedirent. In primis ergo fecit domos in quibus Patareni fuerant recepti funditus demoliri; ac deinde clero & populo generaliter congregato statutum hujusmodi solemniter promulgavit.

Lib. 10. epist. 130.

Ad eliminandam omnino de patrimonio beati Petri hæreticorum spurcitiam, servanda in perpetuum lege sancimus ut quicumque hæreticus, & maximè Patarensis, in eo fuerit inventus, protinus capiatur, & tradatur seculari curiæ puniendus secundum legitimas sanctiones. Bona verò ipsius omnia publicentur; ita ut de ipsis unam partem percipiat qui ceperit illum, alteram curia quæ ipsum punierit, tertia verò deputetur ad constructionem murorum illius terræ ubi fuerit interceptus. Domus autem in qua hæreticus fuerit receptus, funditus destruat, nec quisquam eam reedificare præsumat; sed fiat sordidum receptaculum, quæ fuit latibulum perfidorum. Credentes præterea & defensores ac fautores eorum quarta bonorum suorum parte multentur, quæ ad usum reipublicæ deputetur. Quod si vel hoc modo puniti in similem fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitus expellantur; nec unquam revertantur ad illa nisi de mandato summi Pontificis, digna satisfactione præmissa. Proclamationes autem aut appellationes hujusmodi personarum minimè audiantur, nec quisquam eis in qualibet causa respondere cogatur, sed ipsi cogantur aliis respondere. Iudices autem, Advocati, & Notarij, nulli eorum suum impendant officium. Alioquin eodem officio perpetuò sint privati. Clerici verò non exhibent hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec elemosynas nec oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarij ac Templarij & quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque\* consensu sedis apostolicæ speciali. Quicumque præterea tales, videlicet credentes, fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, præsumperint ecclesiasticæ tradere sepulture, usque ad satisfactionem idoneam anathematis gladio feriantur. Nullus talium admittatur ad testimonium, vel ad aliquod publicum officium vel commune consilium assumatur; & qui \* taliter egerit, tamquam hæreticorum fautor prædicta pœna multetur. Statutum istud in capitulari scribatur, ad quod annuatim jurent Potestates, Consules, seu Rectores, nec unquam removeatur ex illo; jurent ipsum statutum se firmiter servaturos. Et quicumque contempserit aut neglexerit illud servare, depositus à regimine centum librarum pœnam incurrat, solvendam cuicumque summus Pontifex jusserit assignari. Nulli ergo &c. Datum Viterbij nono Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno decimo.

\* In regesto, indulto

\* In regesto, talem elegerit

CXXIIII. Tunc etiam ad suam præsentiam convocavit Episcopos & Abbates, Comites & Barones, Potestates & Consules civitatum de Tuscia, Ducatu, & Marchia usque Romanam ad jurisdictionem sedis apostolicæ pertinentes; & solemnem curiam congregata, primo die jura Ecclesiæ Romanæ proposuit, & omnino ab universis laicis juramenta recipiens quod ejus dominationi parent, secundo die querelas & petitiones univerforum audivit. Tertio die pro justitia & pace servanda statuta hujusmodi promulgavit, quæ servari præcepit sub debito præstiti juramenti.

Lib. 10. epist. 131.

Cum ex officij nostri debito teneamur tam Clericis quam laicis paterna sollicitudine providere, ne contingat istos aut illos injuriam perpeti vel injuriam perpetrare, constitutiones iniquas, præsertim contra leges & canones, à laicis promulgatas aut etiam promulgandas adversus Ecclesiam seu viros ecclesiasticos, non solum spirituali sed etiam temporali auctoritate damnamus penitus & cassamus, sub debito fidelitatis & interminatione anathematis inhibentes ne constitutiones hujusmodi nequiter observare præsumant. Nos enim quicquid earum occasione contra Ecclesias vel personas ecclesiasticas fuerit attentatum, decernimus irritum & inane; non obstante aliquo juramento quod super earum observatione præstitum esse dicatur, cum illud tamquam illicitum non debeat observari. Iudicibus autem & Tabellionibus inhibemus ne secundum hujusmodi constitutiones damnatas suam præsumant officium exercere, si officij sui cupiunt periculum evitare. Datum Viterbij nono Kalendas Octobris, anno decimo.

CXXV. Cum juratum sit à Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus, pacem & justitiam & securitatem strictè ad mandatum nostrum servare, universitati vestræ mandamus quatenus veram pacem servantes, nequaquam vos invicem offendatis, neque communitas communitatem, neque persona personam, neque persona communitatem, neque communitas offendat personam; exceptis raptoribus & prædonibus, & exceptis bannitis & diffidatis; ad quos puniendos Rectori apostolici patrimonij, quotiens requisiti fueritis, impendatis auxilium opportunum. Si verò quisquam offenderit, non statim reoffendatur; sed moneatur prius ut emendet offensam. Et si super emendatione orta fuerit contradictio, nisi per alium sedari potuerit, ad arbitrium Rectoris apostolici patrimonij referatur. Alioquin diffidatis ab eo tamquam hostis publicus impugnetur. Cum autem orta fuerit inter aliquos controversia, per concordiam vel judicium terminetur; sitque judicium penes eum cui competit jurisdictio, salvis semper appellationibus ad nos vel Rectores apostolici patrimonij legitimè factis aut etiam faciendis. Si verò quisquam infra beati Petri patrimonium constitutus modum istum servare contempserit, ab omnibus secundum mandatum Rectoris apostolici patrimonij arceatur. Si quis autem auctoritate sua prædam acceperit, vel accipere fecerit, seu aliquis furatus fuerit, vel futuri fecerit, prædam & furtum tam ipse quam ille qui scienter emerit cum pœna duplici restituat. Qui verò furtum vel hujusmodi prædam emerit ignoranter, ea restituat absolute, nulla recompensatione sibi præstita vel præstanda, sed emptor adversus venditorem suam habebat actionem. Hæc omnia iungimus sub debito præstiti juramenti Comitibus & Baronibus, Potestatibus & Consulibus observanda; ut & ipsi ea fideliter servent, & per districtus suos faciant ab aliis observari. Salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Datum ut supra.

CXXVI. Cum autem monasterium sancti Martini

Vide lib. 10. epist. 143, 162, 201.

Martini de Monte ad exterminationem devenisset extremā, ita ut vix in eotres monachi remanissent, possessionibus ejus omnino distractis, vel sub gravi fenore pignoratis, idem Pontifex ad reformationem ipsius clementer intendens, pro redimendis possessionibus mille libras exsolvit; scripsitque Abbati & conventui Pontiniacensis cœnobij, quod est unum de quatuor primis præcipuis Cisterciensis ordinis monasteriis, ut ipsam Ecclesiam sancti Martini reciperent in filiam specialem, & ad ipsam dirigerent Abbatem & conventum de monachis & conversis, quod ipsi libenti animo perfecerunt. Cùm ergo venissent, Dominus Papa benedixit Abbatem, & ut in eodem loco religio pullularet, concessit & donavit eidem Ecclesiam sancti Salvatoris quæ sita est juxta Orele cum omnibus rationibus & possessionibus suis, longè quidem majoribus ac etiam melioribus quàm ceteræ possessiones illius, adjuvans fratres in necessariis ad excolenda prædia & ædificia construenda, magnificè privilegians locum ipsum.

CXXVII. Interea venit ad ipsam relatio ex parte Lundensis Archiepiscopi, quem Legatum direxerat ad convertendos paganos, quòd tota Livonia erat ad fidem Christi conversa, nullusque in ipsa remanserat qui non recepisset sacramentum baptismatis, vicinis gentibus ad hoc ipsum ex magna parte paratis.

Cùm autem inter cives Tudertinos, majores videlicet & minores, orta fuisset magna dissensio, ita quòd nobiliores civitatem egressi populum impugnabant, ex qua dissensione multa pericula jam provenerant, videlicet incendia, homicidia, prædæ, rapinæ, cædes hominum, mutilationes membrorum, vastationes segetum, destructiones domorum, & multis sæpius mediantibus nunquam pervenire potuissent ad pacem, Dominus Papa utrisque vocatis, & receptis ab eis corporaliter juramentis quòd suo starent mandato, veram pacem inter illos composuit & firmavit; cùs formam per publicam manum redegit in scriptis, & servandam in posterum perpetua lege sancivit.

Eodem tempore discussit & diffinivit causam quæ vertebatur inter Archiepiscopum Ravennatem & Commune Faventia super castro Luci Areoli & sancti Potiti, adjudicans restitutionem eorum Ecclesiæ Ravennati. Porro idem Archiepiscopus tanta penuria laborabat quòd etiam indumenta pontificalia non habebat: cujus Dominus Papa misertus, contulit ei planetam, tunicam, & dalmaticam de optimo examito rubeo, aurifrigiis & granatibus decenter ornatas, amictum, albam, cingulum, atque stolas.

Volens autem idem Pontifex patrimonium apostolicæ sedis in illis partibus constitutum corporali præsentia visitare, accessit ad Montem Flascinam, ubi per duodecim dies moram fecit continuam, recipiens ibi ad ligiam fidelitatem Aldebrandinum Comitem Palatinum. Postea ivit Tuscanam, & per octo dies in ipsa civitate moratus accessit Cornetum; ubi apud sanctum Nicolaum novum sibi fecerat ædificari palatium, requirens pariter & recipiens jura quæ fuerant à quibusdam invasa. Inde per Rovertellum profectus est Sutrium; ubi tribus diebus moratus, cathedralem Ecclesiam solemniter dedicavit; & sic ad urbem finaliter est reversus.

Tom. I.

CXXVIII. Hic per Gregorium sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconum Cardinalem, quem Legatum in Vngaria destinavit, reformavit pacem inter Aintricum Regem & Andream fratrem ejus Ducem, quorum guerra totum penè regnum Vngariæ devastabat.

Hic per Martinum Camaldulensem Priorem, virum providum & honestum, inter Mediolanenses & Papienses pacis fœdera reformavit, per sex menses ad hoc studiosissimè laborans: quorum antiqua discordia inter civitates Lombardiæ, quæ hinc inde diviserant se in partes, dissensionis seminariarum pariebat, ex qua multotiens magna provenerant & dispendia & pericula personarum.

CXXIX. Hic ad reformandam pacem vel componendum treugam inter Philippum Regem Francorum & Iohannem Regem Anglorum Abbatem Cafemarij destinavit: qui cùm ad hoc per annum integrum laborasset de Francia ad Angliam & de Anglia ad Franciam discurrendo, videns tandem se non posse proficere, convocavit Archiepiscoporum & Episcoporum & Abbatum Concilium apud civitatem Meldensem, in quo præfatus Rex Franciæ per eosdem Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates fecit ab eo ad sedem apostolicam appellari. Quorū appellationi noluit ipse deferre nisi jurassent quòd in termino quem eis præfigeret appellationem ipsam in propriis prosequerentur personis. Sed summus Pontifex ab hujusmodi juramento illos absolvit, indulgens eis de speciali gratia ut aliquot ex parte omnium ad prosequendum appellationem venierent. Venerunt igitur in termino constituto Senonensis & Bituricensis Archiepiscopi, Parisiensis, Meldensis, Cathalaunensis, & Nivernensis Episcopi, & multi honorabiles Clerici procuratores omnium aliorum. Quibus diutiùs expectantibus, prænomiatus Rex Angliæ pro se neminem destinavit, negligens prosequi causam suam. Ex qua negligentia quantum ei damnum proveniret satis pater, cùm in brevi tempore totam Normanniam & Andegaviam & Aquitaniam ipsam perdidit per eum totam. Prædicti verò Archiepiscopi & Episcopi post expectationem diutinam in publico consistorio sub verbo veritatis tamquam Pontifices sunt professi quòd ipsi non appellaverant ad mandatum apostolicum eludendum, sed quia sua interesse credebant, maximè cùm crederent in hac parte suum Regem justam causam habere; sed si nec istud sufficeret, & in aliquo essent Domino Papæ suspecti, purgationem canonicam offerebant; quam eis Dominus Papa remisit.

CXXX. Hic ad reformationem & correctionem excessuum vigilanter intendens, visitatores prudentes per diversas provincias delegabat, per quos faciebat diligenter inquiri de statu & conversatione, non solum Ecclesiarum, sed etiam Prælatorum; & quos inveniebat culpabiles, à suis prælationibus protinus removebat, nolens criminosa relinquere impunita. Quot enim Prælatos à suis dignitatibus deposuerit enarrare quis posset? Ipse namque, ut de multis aliquos exprimat, deposuit in Theutonia Coloniensem Archiepiscopum, Episcopum Vormaciensem, Archiepiscopum Maguntinum intrusum, Hildesemensem & Herbipolensem Episcopum imperialis aulae Cellarium, Guircensem Episcopum \* Vicarium Salfeburgenis Archiepiscopi, & Episcopum Nurem-

Vide Raynald. ad ann. 1101. §. 14. & 1104. §. 67.

\* Vide lib. 11. epist. 99.

Lib. 10. epist. 10. 116.

Ibid. epist. 115.

Vide Raynald. ad an. 1107. §. 4.

bergenfem. In Lombardia induxit vel coëgit ad  
cessionem Mediolanensem Archiepiscopum, Af-  
tenfem & Iporienfem Episcopos, & multos Abba-  
tes. In Provincia verò deiecit \* Tolosanum, Biter-  
renfem, Vincienfem, & Vivarienfem Episcopos,  
& alios multos Præfules & Abbates. In regno Fran-  
ciae deftituit Lingonenfem Episcopum, & Abba-  
tes de Viziliaco, de Burgolio, de Cultura, & de  
\* Carafca. In regno Sicilia Trojanum Episcopum  
& Archiepiscopum Panormitanum affumptum.

\* Vide cap. Per  
inquisitionem. De  
electione.

\* Cod. Pod.  
Taraifa.

CXXXI. Licet beatus Thomas Archiepisco-  
pus animam suam pro ecclesiastica posuerit liber-  
tate, nulla tamen utilitas quoad hoc in sanguine  
ejus erat, quoniam Anglicana Ecclesia per Principum  
insolentiam in profundo servitutis ancillata  
jacebat, ita ut apostolicum quoque mandatum in  
Anglia jam quasi precarium haberetur, & electiones  
Prælatorum nusquam liberè fierent, ut de ce-  
teris abusionibus taceatur. Contigit autem ut de-  
functo Huberto Cantuariensi Archiepiscopo con-  
troverfia oriretur de jure ac potestate eligendi  
Archiepiscopum inter suffraganeos & monachos Can-  
tuariensis metropolis, illis asserentibus quod con-  
sueverant & debebant interesse cum monachis ad  
eligendum Archiepiscopum, istis è contratio affir-  
mantibus quod Metropolitanus electio ad suffraganeos  
minimè pertinebat. Rex verò favebat suffraganeis  
contra monachos, suum nihilominus fove-  
re nitens abusum. Cumque propter timorem ip-  
sius monachi non auderent liberam electionem pub-  
licè celebrare, Subpriorum suum sub simulatione  
quadam occultè in Capitulo elegerunt, & ad ip-  
sius Regis instantiam, cui resistere non audebant,  
in publico elegerunt Episcopum Norvicensem;  
quem & ob Regis gratiam suffraganei elegerunt.  
Vtraque igitur questione ad apostolicæ sedis exa-  
men ab utroque perlata, & ea qua de jure eli-  
gendi Archiepiscopum inter suffraganeos & mo-  
nuchos vertebatur, & illa qua super electione  
Subprioris ex parte una & electione Norvicensis  
Episcopi agebatur ex altera, in quo monachorum  
conventus videbatur esse divisus, quibusdam ad-  
herentibus Subpriori, aliis autem Episcopo Norvi-  
censi, cui etiam Rex & suffraganei omnino fave-  
bant, postquam productis testibus & exhibitis in-  
strumentis sufficienter actum est de utraque, Do-  
minus Papa via regia prudenter incedens, non  
declinando ad dexteram vel sinistram, jus & po-  
testatem eligendi Archiepiscopum adjudicavit con-  
ventui monachorum, perpetuum imponens silen-  
tium suffraganeis in hac causa. Vtramque autem  
electionem justitia exigente cassavit, muneta om-  
nino detestans, de quibus dicebatur quod plus-  
quam undecim millia marcharum propter hanc  
causam parati fuerant elargiri. Ne verò si mona-  
chi ad celebrandum electionem remitterentur in  
Angliam, novissimus error fieret pejor priore,  
præcavens summus Pontifex huic malo, mandave-  
rat conventui Monachorum ut potestatem eligen-  
di Archiepiscopum committerent quindecim ex  
fratribus suis ad apostolicam sedem destinandis, si  
fortè contingeret utramque illarum electionum de  
jure cassari, hoc idem insinuans ipsi Regi. Cum  
igitur monachi paruisent apostolicæ jussioni, Do-  
minus Papa post cassationem prædictarum electio-  
num injunxit quindecim monachis ut in præsentia  
sua electionem canonicam de persona celebrarent,

Vide Math. Paris.  
ad an. 1205. &  
1206.

& examinatis voluntatibus singulorum, inventi  
sunt plures in magistrum Stephanum de Langue-  
tone Presbyterum Cardinalem tituli sancti Grifo-  
goni convenire, virum utique vita, scientia, & fa-  
ma præclarum, de Anglia oriundum, quem Do-  
minus Papa eodem anno de cathedra magistrali,  
quam regebat Parisius, assumpserat in Presbye-  
rum Cardinalem; in quem tandem omnes monachi  
pariter consenserunt, nuntiis Regis hoc molestè  
ferentibus & multis modis laborantibus impedire.  
Quod cum per eos ad Regis notitiam pervenisset,  
Rex in tantam indignationem exarsit, licet ei Do-  
minus Papa scribens postulasset exhortans ut suum  
impenderet huic facto favorem, ut nuntiis ad ip-  
sum remissis non dubitaverit ei mandare per litteras  
quod id nullatenus pateretur. Porro Dominus Pa-  
pa, sicut erat fortis & constans, præfatum electum  
propriis manibus consecravit, & pallo sibi dato,  
transmisit illum ad gerendam sollicitudinem pasto-  
ralem, districtè præcipiens suffraganeis universis ut  
nisi Rex diligenter cõmonitus acquiesceret, totum  
regnum Angliæ subiceret interdictioni ecclesiasti-  
co. Quod sicut mandavit denique factum est, Deo  
mirabiliter operante ut per totum regnum Angliæ  
simul ac semel curreret interdictionem; quod tam di-  
strictè servabatur \* ubique ut præter poenitentiam  
morientium & baptismum parvulorum nusquam ce-  
lebraretur divinum officium aut exhiberetur eccle-  
siasticum sacramentum; ita quod non solum Cle-  
ricorum & monachorum aut quorumlibet regula-  
rium, sed etiam Episcoporum cadavera servarentur  
extra cimiterium inhumata. Quod denum Rex  
propter generalem clamorem sustinere non præ-  
valens, satisfactionem obtulit per nuntios & litte-  
ras suas; quam Archiepiscopo in Flandria expectanti  
denuntiavit hoc modo.

Vide lib. 10. epist.  
113. 119. 160. 161.  
lib. 11. epist. 89.  
90. 91. 102. 141.  
210. 211. 212. 213.  
220. lib. 15. epist.  
251. & seq. lib.  
16. epist. 76. & seq.

Vide lib. 10. epist.  
119.

\* Cod. Pod. inibi

CXXXII. Carissimus in Christo filius noster  
Iohannes Rex Anglorum illustris nuper nobis per  
dilectum filium Abbatem Belliloci litteras hujus-  
modi destinavit, ut quæ nobis ex parte sua propo-  
neret crederemus. Ipse verò proposuit quod licet  
se in negotio Cantuariensis Ecclesiæ reputaret mul-  
tùm aggravatum, ob devotionem tamen & reve-  
rentiam quam erga Romanam Ecclesiam nostram-  
que personam asserit se habere, paratus est sicut  
Cantuariensem Archiepiscopum te recipere ac tra-  
ctare, præstita securitate tam tibi quàm tuis qua ad  
hoc visa fuerit opportuna, restitutionem plenariam  
ablatoium promittens personis pariter & Ecclesiis  
faciendam; monachos quoque Cantuarienses per-  
mittere ad Ecclesiam suam redire ac manere secu-  
ros: quamquam hoc sibi grave periculum videatur,  
ex eo quod in ipso negotio contra se credit  
eosdem proditionem machinatos. Regalia verò  
in manu nostra posuit per eundem Abbatem, ut  
nos ea pro nostro beneplacito conferamus. Inter-  
rogatus autem cur non idem ipsa conferret, sed  
potius nobis traderet conferenda, respondit quod  
nondum animus ejus potuerat inclinari ut familia-  
rem tibi gratiam exhiberet. Nos igitur his auditis,  
de consilio fratrum nostrorum hoc modo circa  
præfata regalia duximus procedendum, ut & reci-  
peremus ea sine præjudicio juris tam ecclesiastici  
quàm regalis, & tibi etiam tribui mandarem,  
ita quod tu pro eis quemadmodum tui prædeces-  
sores suis progenitoribus teneris. Vnde venerabi-  
libus fratribus nostris Londoniensi, Eliensi, &

Lib. 11. epist. 90.

Vvignoniensis Episcopis per nostras damus litteras in mandatis ut proviso prudenter ne quid deceptionis contra libertatem ecclesiasticam interveniat, prælibata regalia præscripto modo recipiant, tibi que conferant vice nostra, si forsitan idem Rex, cui super hoc affectuosissimè scribimus, induci nequiverit ut ipse ea conferat tibi, & his quæ superius sunt expressa rite peractis, sententiam interdicti relaxent, faciendo te, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci. Monemus ergo fraternitatem tuam & exhortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus tuam ponens principaliter spem in Domino, circa præfatum Regem talem se satagas exhibere quòd ad profectum Ecclesiæ tibi commissæ meliùs promovendum familiaritatis regis possis tibi comparare favorem. Speramus enim in eo in cuius manu cor Regis existit, & quò voluerit verter illud, quòd sicut in hoc negotio consilium ejus in parte dirigere jam incepit, ita ipsam finali quoque profectur effectum, ut ad curam suscepti regiminis efficaciter exequendam tibi non solum impedimentum non inferat, sed adjumentum impendat. Datum &c.

CXXXIII. Quia verò virtutis autum in persecutionis fornace probatur, volens Deus præfati Præsulis patientiam inter adversa probari, eum quasi signum exposuit ad sagittas, permittens ipsum à suis civibus multis tentationibus exerceri; sed, sicut in psalmo legitur, sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & pro nihilo habentur contra eum lingua ipsorum. Cum enim Romanum populum ad vassallagium recepisset, quidam qui ex discordia quam seminare solebant inter summum Pontificem & Romanum populum suos quæstus augebant, intelligentes quòd non poterant in aqua clara piscari, cœperunt aquam turbare, ut in ea meliùs piscarentur. Inter quos principales & præcipui extiterunt Iohannes Petri Leonis Rainesij & Iohannes Capotius, qui ex facundia sua multum obtinuerat in plebem favorem. Hi ergo hanc primam turbandi materiam invenerunt, dicentes in populo quòd Dominus Papa spoliaverat urbem omnibus tenementis, sicut auceps deplumat avem omnibus pennis, pro eo quòd ipse Sabinam & maritimam ad manum Ecclesiæ revocaverat & recuperaverat urbis senatum. Sed cum hoc modo minimè profecissent, occasionem aliquam confinxerunt, asserentes quòd ipse senatum non faciebat communem, sed eum in Senatorem eligi faciebat qui suis propitiis & aliis esset infestus. Quamvis autem multifariè multisque modis populum subvertere niterentur, & sæpe scandala suscitassent, non tamen eum adhuc plenè seducere potuerunt, ad hoc præcipuè intendentes ut, sicut soliti fuerant, à summo Pontifice pecuniam extorquerent. Verùm ipse cupiens hanc pessimam consuetudinem abolere, noluit se ab illis redimere ut à sua persecutione cessarent. Vnde ipsi contempti cœperunt ad persecutionem ipsius amplius inflammari. Et quia videbant se solos non posse sufficere, multos sibi attrahere studuerunt, insimul conjurantes. Sic ergo longam restem fecerunt, dum quosdam simplicitate ductos, alios tractos invidia, nonnullos cupiditate illectos ad suum inclinavere consensum. Accedit interim ut Viterbienses in tantum opprimerent Viterclanum, nolentes homines

Tom. I.

ipsius castri alio modo recipere nisi salvis personis & rebus castrum ipsum eis traderent destruendum quòd ipsi summa necessitate compulsi mittentes nuntios ad Romanos, se simul cum castro eorum dominationi subiciendos offerrent, ut imminens possent periculum evitare. Tunc præfati schismatiarchæ arbitrati sunt seurbationis invenisse materiam, per quam possent Romanum populum contra summum Pontificem commovere, dicentes: Faciamus Viterclanum recipi à Romanis contra Viterbienses tuendum; & si Papa noluerit Romanis auxilium impertiri, tunc Romanus populus commovebitur contra ipsum; si verò auxilia illis impenderit, Viterbienses cum fautoribus suis ab ejus fidelitate recedent; & sic suscitabitur guerra, per quam meliùs poterimus in aqua turbata piscari. Licet igitur sanis & sapientibus hujusmodi consilium displiceret, prævaluit tamen consilium istud in plebe, quæ Viterbienses habet exosos, & receptum est Viterclanum ab urbe contra Viterbienses defendendum. Cum autem Viterbienses nollent ad mandatum Romanorum ab impugnatione Viterclani cessare, diffidati sunt à Romanis. Et cum isti congregarent exercitum contra illos, illi convocatis Rectoribus societatis Tusciæ in auxilium contra istos, cœperunt ad resistendum se viriliter præparare. Rectoribus ergo Tusciæ societatis cum valida manu in auxilium Viterbiensium accedentibus, Romani dubitantes procedere, murmurare cœperunt adversus eos qui consilium dederant ut acciperent Viterclanum; & sic præfati schismatiarchæ visi sunt incidere in foveam quam nisi sunt aliis præparare. Quid ergo facerent ignorantes, recurrerunt tandem ad summum Pontificem, ipsius auxilium humiliter implorantes. Ipse verò, non tam propter illorum instantiam quam propter Viterbiensium insolentiam, qui super negotio Viterclani sapius requisiti nunquam voluerunt ipsius acquiescere monitis & mandatis, immo etiam contra ipsum Narniensibus in rebellionem sua præstiterunt auxilium & favorem, mandavit eisdem ut à molestatione Viterclani desisterent, vel in curia sua iustitiam exhiberent, promittens eis in veniendo, morando, & redeundo plenariam securitatem præstare. Quod cum ipsi facere noluisent, eos pro contumacia sua diffidavit & interdicto subiecit, injungens Rectoribus societatis Tusciæ, qui jam in eorum auxilium usque Vrbevetum pervenerant, ut eis contra Romanos auxilium non præstarent. Qui respondentes dixerunt quòd cum eos ratione societatis tenerentur juvare, non poterant eis sine perjuri reatu deesse. Quibus per honorabiles nuntios Dominus Papa rescripsit quòd cum ipsi societatem ad honorem Ecclesiæ Romanæ jurassent, ipsius honorem proculdubio non servarent, si Viterbiensibus contemnentibus ad mandatum ejus facere rationem, & ob hoc iusto iudicio diffidatis & interdictis, auxilium exhiberent. Vnde ipsi Rectores cum exercitu suo ad propria redierunt, & Romani cum fidelibus Domini Papæ ad mandatum ipsius undique congregatis, adierunt fiducialiter Viterclanum, illudque victualibus & aliis necessariis munitentes usque Viterbium processerunt, & castra metantes ex opposito civitatis, circa vesperam periclitari certamine pugnaverunt cum illis, & in eo congressu sunt superiores effecti; sed

l ij

summo diluculo non expectantes ad propria redierunt, usque adeo in laudem summi Pontificis conclamantes ut quidam qui consueverant in contradictionem Domini Papæ ora laxare, publicè dicerent quòd ita jam erant ipsorum linguæ quòd nunquam de cetero contra summum Pontificem loquerentur.

\* Cod. Pæd. Prolo-  
meo

CXXXIV. Hoc autem parvissimo tempore servaverunt. Nam cum nobiles viri Landus Coll. de Medio & fratres ejus deposuissent Domino Papæ querelam de \* Bartholomæo & Ionatha dominis Varnæ & Gabriani quòd partem terræ spectantem ad ipsos per violentiam detinerent, & peterent sibi justitiam exhiberi, qui sæpe citati justitiam sub ejus examine facere noluerunt, fecit illos per preceptorium edictum per Marecallum suum in possessionem rerum petitarum induci: quam illi temerè perturbantes, accesserunt ad præfatos Iohannem Leonis Rainerij & Iohannem Capotium, & eis simulato contractu terram suam titulo pignoris obligarunt, eam se ab ipsis tenere simulantes. Illi verò apud Dominum Papam instare cœperunt ut eis terram illam in pace dimitteret. Quorum fraudem Dominus Papa cognoscens, præfatos nobiles coartari nihilominus faciebat per vastationem segetum, incisionem arborum, fractionem molendinorum; & abductionem prædorum: quamquam præfati, schismatici clamarent contra Dominum Papam in populo quòd ipse libertates & consuetudines & rationes Romanorum infringeret & auferret, satagentes contra eum scandalum populi suscitare; quod ipse tandem congregato populo, exposita veritate, sedavit; & adhuc eis minantibus & renitentibus cœgit nobiles antedictos ut pignoris contractu resciso, mandatis ipsis se per omnia parituros juramentis & fidejussionibus promiserint. & sic demum inter istos & illos controversia finem per transactionem accepit. Viterbienses verò impugnantes Viterclanum, & illud nimium coartantes, Viterclanenses Romanorum auxilium imploratunt, afferentes quòd nisi quantocyus illis succurrerent, tanta laborabant penuria victualium quòd non poterant ulterius se tenere. Senator igitur urbem egressus, in prato sancti Petri fixit tentorium, mandans Romanis ut post ipsum exirent, & vicinos amicos urbis in expeditione convocans universos. Romani verò pauci & cum tædio exeuntes, vix tandem Senator usque ad civitatem Castellanam processit. Viterbienses autem adjuncto Comite Ildebrandino, quem sibi Potestatem præfecerant, & tam per ipsum quam per alios amicos suos magno exercitu congregato, multis nihilominus militibus & arcariis mercede conductis, se contra Romanos viriliter præpararunt. Romani ergo cum essent pauci, audito illorum multiplici apparatu, quid agerent dubitare cœperunt; quia eis ignominiosum redire, & periculosum procedere videbatur. Sed hoc consilium inierunt, ut Senator à potentioribus urbis pecuniam mutuò postularet, ex qua conduceret milites & arcarios opportunos. Qui cum nullam vel modicam ab aliis potuissent habere, Richardus Domini Papæ germanus eis in tanto necessitatis articulo mutuavit; ex qua conductis militibus & arcariis processerunt ut inferrent victualia Viterclano. Sed Viterbienses eis obviam venientes, cœperunt dimicare cum ipsis ipso die

Epiphaniæ, cum Dominus Papa Missarum solemniam celebrans in Ecclesia sancti Petri exhortaretur populum ut pro fratribus in exercitu commorantibus supplicarent, ut Deus eos cum prosperitate reduceret & honore. Ipsòque die Viterbienses terga vertentes fugati sunt à Romanis, multis in bello vulneratis, occisis, & captis. Sicque Romanis cum gloria revertentibus, Senator cum sæpèfate Iohanne Petri Leonis Rainerij & multis aliis ad summum Pontificem accedentes, prostraverunt se ad pedes ipsius, & eos humiliter osculantes, innumeras ei gratias retulerunt. Senator autem universos captivos misit in Canapariam multis miseris macerandos: inter quos duo erant majores, videlicet Neapolion Vicecomes Campiliæ, & Burgudio Protonotarius Viterbij: quibus Dominus Papa compatiens, fecit illos educi de Canaparia & in palatio suo aliquandiu detineri, ac demum apud Larianum honorificè custodiri; ceterorumque miseris, inter Romanos & Viterbienses cœpit de pace tractare.

CXXXV. Præfate verò Neapolione per fugam elapso, sæpèfate schismatici cœperunt contra Dominum Papam ora laxare, obloquentes & blasphemantes ut contra eum populum concitarent. Et quidem malignis eorum suggestionibus populus nimis est concitatus. Quorum furorem Dominus Papa blandè deliniens, usque adeo in pacis tractatu processit quòd inter eos salva in omnibus fidelitate Romani Pontificis & Ecclesiæ Romanæ composuit, & sic omnes captivi sunt liberati, præcipiens Viterbiensibus ut portas æreas, quas de basilica sancti Petri, & pateres æreas, quos de cantharo ante basilicam dicebantur extulisse vel confregisse tempore Frederici Imperatoris, facerent restaurari. Licet hanc pacem de voluntate fecerit Romanorum, nihilominus tamen aliqui oblatrabant dicentes quòd eam ob commodum fecerit speciale. Ad has malignitates & nequitas exercendas incentores & auctores fuerunt filij Vrſi, quondam Celestini Papæ nepotes, de bonis Ecclesiæ Romanæ ditati, hac occasione duntaxat quòd inter domum Petri Bobonis, ex qua ipsi per patrem descenderant, & domum Romani de Scorta, ex qua Dominus Papa per matrem descendit, veteres emulationes fuerunt. Vnde timebant ne ipse vellet eos opprimere, præsertim super terram quam nomine pignoris ab Ecclesia Romana tenebant, videlicet, Viconario, Burdella, & Cantalupo; quamvis nihil tale factò verbo, vel signo percipere potuissent. Nitebantur igitur sub nomine communitatis populi sibi captare favorem & inter ipsum & Ecclesiam scandalum suscitare; ut Dominus papa molestatus à populo, eos molestare non posset, & si vellet, se contra ipsum favorem populi tuerentur. In tantum igitur eorum processit malitia ut absentia Domini Papæ captata, cum apud Velletrum æstivo tempore motaretur, ipsi paratis insidiis ex improviso in Romanum de Scorta & filios Iohannis Odolinæ confanguineos ipsius Domini Papæ violenter irruerint, & eos ac uxores eorum de domibus suis ejecerint. Quod cum ad audientiam summi Pontificis pervenisset, indoluit vehementer, non tam propter illam injuriam quam propter futurum periculum quod timebat. & ideo ad reditum festinavit. Ad cujus præsentiam præfati malefactores, videlicet filij Vrſi, cum

confanguineis & amicis suis protinus accesserunt, ipsius se mandatis per omnia exponentes; & recepto ab eis corporaliter juramento quod universis mandatis ejus absque reservatione cum timore parerent, ab aliis quoque simile juramentum recepit; & fidejussoribus insuper utrinque receptis, pacem inter eos componere intendebat.

CXXXVI. Porro Pandolphus de Subuxa Senator urbis, qui per omnia Domino Papæ favebat, his non contentus, utrosque sua mandata jurare coëgit, & fidejussoribus ab utrisque receptis, eorumque turres accepit, compellens eos urbem exire; illósque apud sanctum Petrum, istósque apud sanctum Paulum manere præcepit, ut eis absentibus vindictam liberius exerceret. Cepitque quandam turrim filiorum Vrsi propter injuriam perpetratam.

\* Cod. Pod. Tebaldis

CXXXVII. Interim autem \* Theobaldus Benedicti Odonis, consobrinus filiorum Vrsi, ad sanctum Paulum frequenter accedens, cum præfato Romano de Scorta genero suo securius loquebatur. Quod cum filij Iohannis Odolinæ perpenderent, & scirent eum totius mali fuisse principalem auctorem, præsumentes quod contra eos tractaret irruerunt in ipsum maligno spiritu concitati, & in via inter sanctum Paulum & urbem eum nequiter occiderunt. Quod cum ad filiorum Vrsi noticiam pervenisset, subito revertentes in urbem, favore plebis propter sceleris immanitatem adjuti, utraque turres quas tenebat Senator nihil tale suspicans occuparunt, & tam turres quam domos illorum funditus destruxerunt, reportantes ad domum cadaver occisi, & cogitantes illud non solum ante domum Richardi germani Domini Papæ, verum etiam ante palatium summi Pontificis cum funebri luctu deponere, ut contra eos furorem populi concitarent; sed impediti, quod cogitaverunt perficere nequiverunt. Ex tunc conspirationibus & conjurationibus ardentius intendentes, quæcumque poterant excogitabant iniqua, machinantes qualiter possent Dominum Papam offendere, saltem in suis confanguineis & amicis, & ex eo materiam assumpserunt quod Odo de Polo vivente adhuc Gregorio patre suo, ac post ejus decessum, de conjugali copula contrahenda inter filium suum & neptem Domini Papæ, filiam videlicet præfati Richardi, cæpit habere tractatum, & multis pactis intercedentibus, tandem mediante Octaviano Hostiensis Episcopo patruo suo adinvicem conveniunt. Cùmque præscriptam terram quam ipse Odo ac progenitores ipsius multis debitis obligaverant prædictus Richardus à debitorum onere liberasset, ipse Odo ac fratres ejus, qui cùm terra subjaçeret debitis obligata, vix poterant ex ea tenuem ducere vitam, cæperunt ad eam anxius aspirare. Verùm cùm suam contra præfatum Richardum querelam proponerent coram summo Pontifice, respondit sapissime idem Richardus quod paratus erat sub examine Domini Papæ vel fratrum suorum aut judicium vel etiam ad arbitrium bonorum hominum seu communium personarum plenariam eis justitiam exhibere, idem Dominus Papa præfato O. & fratribus necessarios sumptus in litem promisit misericorditer elargiri. Sed ipsi pravo ducti consilio, cæperunt non solum contra Richardum, verum etiam contra Dominum Papam multa confingere falsa, ut quasi sub specie pie-

tatis clamorem populi concitarent, ita quod nudati per urbem frequenter cum crucibus ad arcu- las discurrebant. Et licet prohibiti fuissent à Domino Papa ne contra ipsum tale quid attentarent, ab incepto tamen desistere noluerunt; sed pejora prioribus attentantes, secunda feria post Pascha tumultum & seditionem populi concitarunt, ita quod blasphemis clamoribus incessanter emissis, in ipsa beati Petri basilica divinum officium perturbarunt. Et cùm de more ipse summus Pontifex coronatus reverenter per urbem incederet, insidias & injurias multas sustinuit atque magnas. Ipse verò placido vultu procedebat intrepidus, nullum pavoris aut commotionis signum ostendens; quia conscientiam habebat liberam & securam. Porro \* ne his conceptis fieret error novissimus pejor priore, cùm Romanus populus esset coram Senatore in \* Capitolio congregatus, sæpeditam terram ad proprietatem sedis apostolicæ pertinentem verbo, quia factio non poterant, & scripto, quia jure nequibant, Senatui populoque Romano, quantum in eis erat, concedere præsumpserunt. Sed ipse Dominus Papa incontinenti jus suum, convocato populo, per quosdam fratrum suorum fecit publicè protestari. Et ne jus Ecclesiæ deperiret, præcepit sæpedito Richardo ut terram ipsam per Romanam Ecclesiam recognoscens, eam defenderet & muniret. Adhuc in tantum processit eorum audacia quod præfatum Senatorem nolentem suis perversitatibus consentire infra palatium Capitolij obsederunt, eum illic expugnare putantes. Quod cùm facere nequiverunt, falsis \* commentis contra præfatum Senatorem Romanum populum seducentes, ipsum adversus eum adeo commoverunt ut armis ad conflictum assumptis, turrem ipsius igne apposito acriter expugnarent, ita quod eam, ipso vix tandem per fugam liberato, ceperunt, multis tam sibi quam adjutoribus suis damnis & injuriis irrogatis. Videns ergo Dominus Papa quod furor erat in cursu, cessit currenti furori; & urbem egressus, in Campaniam declinavit. Cùmque apud Ferentinum per totam æstatem demoratus fuisset, ubi fieri fecit optimum & pulcherrimum fontem, circa finem Septembris venit Anagninam; ubi eum tam gravis ægritudo pervasit ut de ipsius liberatione penè nulla spes esset, ita ut per ipsam civitatem sæpius insonuerit quod diem clausisset extremum.

\* Edit. Tolos. nec his contenti, sed & cr.  
\* Cod. Pod. Capitolio

\* Cod. Pod. convitiis

CXXXVIII. Tempus interim imminebat quo renovari debebat in urbe senatus. Fecerunt nuntios destinari, qui ad eligendum peterent medianos. Suggesterant enim populo ut non unicum, sed quinquaginta sex Senatores vellent habere; quatenus inter multos, aliquos ipsi fautores haberent. Et quia pars eorum nimium invaluerat, cùm ab his qui ægotante summo Pontifice negotia Ecclesiæ procurabant duodecim mediani fuissent populo assignati, penè omnes capi fecerunt & in trullo Iohannis de \* Stacio violenter includi, cogentes eos jurare ut singuli saltem duos de fautoribus suis eligerent Senatores. Quo facto, præfatus Senator assignavit & tradidit Capitolium illis duntaxat qui Domino Papæ favebant. Et cùm ipsi juramentum regiminis secundum antiquam & consuetam formam intrassent, hoc audiit quod de terra quæ fuerat Gregorij de Polo nihil contra

\* Cod. Pod. Stacion

urbis iustitiam ordinarent, alij jurarunt quod de terra illa nullum facerent omnino contractum, nisi urbs prius haberet tenentiam; & ad hoc populum suis machinationibus induxerunt ut penè omnes clamarent quod ipsius terræ prius urbi traderetur possessio, & tunc demum inter Ecclesiam & Richardum & urbem cognosceretur de iure. Quod quàm absurdum esset & iniquum penè nullus ignorat. Cùm ergo Senatores illi non possent in voto concordare cum aliis, nec in uno loco poterunt remanere cum illis, sed descenderunt apud monasterium Domine Rosæ juxta domum Iohannis de Stacio, qui eis omnino favebat. Et sic divisio senatu, pax & iustitia nunquam inveniebantur in urbe. Cœpit ergo paulatim populus murmurare propter maleficia quæ committebantur impune, multis dolentibus, quibus erat mens sana, de his quæ propter invidiam nequiter agebantur. Et licet multotiens solemnnes nuntij missi fuissent ad Dominum Papam ut rediret ad urbem, & ipse redire nolisset, quia nondum res exigere videbatur, missi sunt tamen ad ultimum majores & plures, qui eum jam plenè restitutum per salvationis gratiam sanitati ex parte populi ad reditum invitaverunt. Rediit igitur, ne populum contemnere videretur, & cum ingenti fuit honore susceptus.

CXXXIX. Licet autem multorum commotio quiescere jam cœpisset, nondum tamen ita restinxit indignatio perverforum ut quantumcunque Dominus Papa benignè ac placidè loqueretur, iustitiam sibi fieri postulando, cùm ipse paratus esset iustitiam exhibere, verbum ejus acceptaretur ab illis. Consultum est ergo summo Pontifici ut convocato populo, assignari eis faceret medianum, qui unum eligeret Senatorem. Ipse verò ne contra personam mediani quicquam obici posset, fecit eis assignari pro mediano nobilem virum Iohannem Petri Leonis, qui ab universo populo approbatus, juramento secundum morem exhibito, Gregorium Petri Leonis Rainerij Senatorem elegit; cujus electio satis visa est populo complacere. Sed præfati schismatici convenientes post Nonam cum fautoribus suis apud monasterium Domine Rosæ, & urbem per privilegium confirmata fuerat temerè violantes, suos non Senatores sed seductores eligere præsumperunt viros infames & criminosos, quia bonos & honestos habere nequibant. Et sic factus est error novissimus peior priore, hoc ad excusationem solummodo prætextantes, quod Dominus Papa privilegium meruerat amittere, quia permissa sibi abusus fuerat potestare. Præfatus autem Gregorius Petri Leonis Raynerij, qui legitimè fuerat electus Senator, vir erat fidelis, benignus, & mitis, sed non ita virtuosus, strenuus & astutus sicut temporis malitia requirebat. Omnibus ergo confusus, licebat unicuique quod libebat. Unde Iohannes Capotius opportunitatem temporis se invenisse cognoscens quod suum posset desiderium adimplere, juxta domum suam turrim cœpit ædificare de novo. Quod cùm præfato Pandulpho & aliis ejus æmulis displiceret, cogitare cœperunt quomodo possent ejus propositum impedire; miseruntque nuntios ad eundem ut à turris ædificatione cessaret. Qui prohibitionem eorum contem-

nens, cœpit ædificationi fortius imminere: quamquam multi sibi consulerent ne causam quasi communem faceret specialem, quia proculdubio favorem communitatis amitteret, & si Dominus Papa vellet illis favere, resistere non valeret. Sed ipse, sicut erat arrogans, talibus consiliis nullatenus acquievit, præsentia tantum considerans, non futura. Cœperunt igitur utrinque se ad bella præparare, ita quod ipsa die Paschæ Iohannes Capotius per urbem discurrens, populum ad auxilium convocabat, affirmans quod eo die plenam sumeret de universis inimicis victoriam. Estimabat enim quod non possent ante faciem ejus subsistere, quin eos in momento deleteret. Præfatus verò Pandulphus se in montem supra domum suam qui Baltea Neapolis dicitur recepit, ne locus ipse præoccuparetur ab illis. Ad quem cùm Iohannes Capotius armatus cum suis fautoribus accessisset, Pandulphus cum paucis illos aggressus convertit in fugam, & usque ad sanctum Quiricum eos insecutus est, crebris percussionibus affligendo. Cùmque diversis locis ea die pugnatum fuisset hinc inde, parti Pandulphi melius cessit, multis laudantibus Deum quod humiliasset superbum, qui nec diei sancto dedit honorem. Ex tunc pars illa deficere cœpit, & Pandulphus roborari. Nam Richardus germanus Domini Papæ subveniebat ei magnificè in expensis; feceruntque utrinque turres ligneas, ubi lapideas non habebant, aggeres & fossata, munientes thermas, & incastellantes Ecclesias, die noctique pugnantibus, non solum milites & pedites super terram, verum etiam custodes & servientes per turres de alto lapides & sagittas emittentes. Erexerant enim petraras, & mangonellos, conduxerant balistarios & arcarios; & tam acriter dimicabant ut præter cædes & strages, & domos destruerent, & incendia perpetrarent. Verum cùm Iohannes Capotius nec sic à turris ædificatione cessaret, Pandulphus cœpit ædificare fagiolum super quoddam monumentum antiquum quod illius domui adeo erat vicinum ut à fundibulariis de hac in illam lapides jacerentur. Indoluit vehementer Iohannes Capotius; quia cùm fagiolum perfecisset in altum, ex jactu lapidum homines ante domum non poterant remanere. Sed & filij Petri Alexij, fautores Pandulphi, supra prædictum montem turrim ædificaverunt excelsam, & Gilido Carbonis similiter adjumento ipsius tres turres suas erexit in altum. Sed Petrus Anibaldi sororius Domini Papæ \* pontes omnes juxta Colosæum, turrem ex opposito cœpit constituere, prohibentibus Iacobo Frajapano ac relicta Naonis Frajapanis, & impediens prout poterant, per Colosæum & turrem Naonis lapidibus & sagittis emissis. Sed ipse per dictas oppositiones ab ædificio non cessabat.

CXL. Iohannes verò Capotius anxius cogitabat quomodo posset fagiolum occupare; tantumque satagit quod illud multo studio ac labore in festo sancti Laurentij occupavit; & post occupationem ejus tantum invaluit mox quod Lateranum accedens, domos Pandulphi quæ ibi erant universas evertit, & formam quam ibi habebat accepit. Sed & turricellam quam prope Colosæum juxta sanctorum quadraginta martyrum Ecclesiam munierat violenter invaluit; tantumque terror irruit in Pandulphum & fautores ipsius quod jam

\*Cod. Vat. 10000

penè desperabant. Modum autem in prosperitate non fervans, contra Petrum Anibaldum sororium Domini Papæ processit; cœpitque adversus illum pugnare, putans & ipsum omnino delere. Sed multi qui sequebantur eundem, ab illo sunt ad istum conversi, quia eum plurimum diligebant; & sic illi fortiter resistentes, eum vitiliter propulerunt. Extunc Petrus Anibaldi negotium fecit facere suum, & per hoc pars ista viribus innovata usque adeo cœpit invalescere contra illam quod infra modicum tempus violenter ceperunt turrem munitam quæ vulgariter Gallina alba vocatur, & turrem Gregorij\* Serraverij, sed & sanctum Quiricum, quem illi toris viribus defendebant, luculentis & diruentes domos adversariorum undique per circuitum. Turris quoque quam ædificaverat Baroncellus, præcipuus fautor Iohannis Capotij, funditus corruit per se ipsam; adeoque virtus eorum invaluit contra illos ut jam vires illorum quasi deficerent enervata. Nam adiutores eorum, longo tempore gravati laboribus & expensis, eis deesse cœperunt, & ipsi sibi sufficere non valebant. Populus quoque adversus illos jam ex majori parte clamabat, ipsis ut suum palliarent defectum dicentibus quod contra eos pecunia Domini Papæ pugnabat.

C X L I. Licet autem plerique consulerent Domino Papæ ut permitteret eos usque ad extremam exinanitionem quasiari, nolens tamen eis respondere pro meritis, quibusdam ad se benignè vocatis talem formam pacis proposuit. *Eligantur quatuor boni viri super discordia & divisione qua vertitur inter ipsos & illos qui se nominant bonos homines de communi & Richardum germanum meum, qui jurent nec amore, nec odio, nec prece, nec pretio, nec timore, sed bona fide ac sine fraude cognoscere & dicere super his infra sex menses quod intelligent esse justum; nisi forsan interim possint voluntariam concordiam reformare. Sed electi jurati ante omnia dicant de factis senatus; salvo tenore finis inter Ecclesiam Romanam & urbem, sicut apparet per privilegium. Et nos pro bono pacis ex gratia procedemus hoc anno in facto senatus secundum eorum consilium; ita ut hoc non possit nobis in posterum impedimentum aut præjudicium generare. Placuit quidem illis hæc forma, tamquam qui nimis ex guerra gravati eam subterfugere non ferebant. Veruntamen ut suum scelestum propositum occultarent, Iohannes Capotius convocato populo, & exposita forma pacis, inter cetera ita dixit: *Non consuevit urbs in aliqua contentione succumbere quam contra Ecclesiam assumpsisset, neque iustitia, sed potentia vincere consuevit. sed ecce nunc omnino succumbit; quia & tenentem terra contra populi decretum & juramentum Senatorum illi dimitit, & senatum illi confirmat. Et si nos, qui tot sumus & tanti, deficiamus, quis ei de cetero se opponet? Nunquam tam turpem pacem adversi factam pro urbe, nec ego tam turpi paci volo præbere consensum. Audiens autem Iohannes Petri Leonis Rainerij quod is qui pacem illam præ ceteris affectabat, eam propter favorem populi penitus reprobasset, & ipse assumpta parabola cœpit eam modis omnibus improbare; sicque tractatus pacis ea die non potuit habere processum. Sed cum guerrarum aculeis pungerentur, jam verò non rogati, sed rogantes, faciebant pacem huiusmodi postulari. Et de communi**

omnium voluntate quatuor sunt electi qui secundum præscriptam formam jurarunt; statimque dixerunt quod ad summum Pontificem pertinebat creare senatum. Sed quoniam unus inveniri non poterat qui esset utrique parti communis, consulebant Domino Papæ ut concederet populo quinquaginta sex Senatores. Qui prædicens illis quod per tot Senatores urbs commodè regi non poterat, quoniam adinvicem discordarent, pro instanti tamen necessitate annuit postulatis. Electi sunt igitur Senatores, qui omnes juraverunt Domino Papæ fidelitatem aut finem, & inter prædictos discordantes qualem qualem pacem fecerunt; cœpitque urbs à bellorum strepitu paululum respirare, ac prædicti schismatici contra Dominum Papam & Romanam Ecclesiam obloqui cessaverunt. Multum ergo virtus & constantia Domini Papæ profecit, qui statum Ecclesiæ quasi de servitute ad libertatem reduxit, ut non oporteret eam semper à persecutoribus se redimere tormentibus tantum ut extorqueretur. Nam & omnium una vox erat & eadem sententia, quod iste Pontifex flecti non poterat injuriis vel offensis, sed obsequio & honore. Interea dum guerra ferveret, duo fratres habitatores Laterani contempta prohibitione summi Pontificis ædificaverunt turrem munitam ante Lateranum palatium super formam antiquam, quam postea requisiti Domino Papæ humiliter tradiderunt, ipsius se iussionibus per omnia submittentis. Qui cum eam fecisset aliquandiu custodiri, tandem eam demoliri præcepit, ne quis de cetero simile attentaret; & sic penitus fuit destructa.

C X L I I. Præfatus verò Iohannes Petri Leonis Rainerij quandam partem invaserat de territorio Tusculani; quam cum Dominus Papa repeteret, assererat eam à Celestino Papa sibi fuisse concessam. Sed cum id non ostenderet, Dominus Papa post monitiones multiplices comminatus est ei quod ipsum excommunicationis laqueo innodaret. Ipse autem hoc audiens, indignatus est vehementer; & sicut erat atrogans & superbus, intonuit quod non auderet in eum quod nullus prædecessorum suorum ausus fuerat attentare. Nam & tale sibi propter hoc impedimentum opponeret de quo non posset leviter expediri. Et hoc fuit causa præcipua quare ipse memoratum scandalum contra summum Pontificem suscitavit. Sed idem magnanimus Pontifex, ne videretur esse canis mutus non valens latrare, in declinatione basilicæ beati Petri coram innumera multitudine solemniter ipsum excommunicavit. Porro quamvis murmuraret, juravit tamen stare mandatis ipsius; & sic extitit absolutus. Cumque postmodum infirmaretur ad mortem, quia nondum fuerat sati factum, denuntiavit hæc edibus suis quod nisi & ipsi mandatis ejus obedire jurerent, sepulturam illi, cum moreretur, interdiceret Christianam. Quibus jurantibus & fidei iutores præbentibus, permixto ecclesiastico more sepelire defunctum. Senatores autem, sicut Dominus Papa prædixerat, tam malè in officio regiminis se gesserunt ut à quolibet tam intra urbem quam extra maleficia committerentur impune, pace ac iustitia penitus relegatis. Vnde populus cœpit adeo execrari ut oportuerit Dominum Papam ad communem populi petitionem unum eis Senatorem concedere; quantumcunque præfatis schismaticis displiceret, qui turbationis tempore jactabant



quod nunquam de cetero Dominus Papa posset in urbe unicum constituere Senatorem. Senator ergo per summum Pontificem substitutus pacem & justitiam protinus reduxit in urbem, comprimens rebelles & præsumptores; nullusque contra illum audebat mutire, potentiam summi Pontificis reformidans.

CXLI II. Interea Dominus Innocentius suum jactans in Domino cogitatum, operibus pietatis plenius insistebat. Nam valida cum famis invalisset inedia, ita ut \* rubrum frumenti à viginti usque ad triginta solidos venderetur, & tunc ipse moraretur Anagninæ, protinus remeavit ad urbem, & cepit necessarias elemosynas indigenti populo liberaliter erogare. Sic autem fecit illas distribui ut qui verecundabantur publicè mendicare, pecuniam occultè reciperent, de qua sustentarentur per singulas septimanas; illi verò qui publicè mendicabant, singulis diebus panem acciperent ad sufficientiam universi; (quorum tanta erat \* præmiseria multitudo ut excederet numerum octo milium personarum) alij autem in elemosynaria domo reciperent alimenta. Et sic famelicum populum ab imminente periculo liberavit, exhortans divites & potentes verbis pariter & exemplis ad elemosynas largiendas. Quantam verò pecuniam in hoc opus expenderit, novit ille qui nihil ignorat. Ab initio quippe promotionis suæ ad elemosynas deputavit universos proventus ad se pertinentes de oblationibus basilicæ sancti Petri. Præterea de cunctis proventibus suis faciebat integram decimam in opus elemosynæ separari, & de residuo licet occultas, sapissime tamen largas elemosynas impendebat. Univerfales oblationes provenientes ad pedes ipsius secundum antiquam consuetudinem accipiebat Elemosynarius erogandas. Faciebat ergo famelicos refici, nudos vestiri, virgines pauperulas maritari, parvulos expositos nutriri. Subveniebat frequenter monachis & monialibus indigentibus, & reclusis, & heremitis. Domos etiam religiosas visitabat multotiens, & à debitis liberabat. Circuibat & investigabat diligenter Elemosynarius ejus pauperes ac debiles, maximè nobiles; dabatque illis sigilla ut per eos qui ipsa referrent singulis hebdomadibus pecuniam acciperent ad victum; & sapissime talibus quindecim libras per hebdomadam impendebat; exceptis illis qui cottidie recipiebant aut cibos aut nummos aut vestes. Permittebat etiam idem benignissimus Pontifex pauperulos parvos ante mensam suam post finem refectionis venire, ip-

sisque de his quæ coram eo remanserant victualia exhiberi. Sabbatis quoque faciebat mandatum, lavans ac tergens & osculans pedes duodecim pauperum, & singulis duodecim nummos impendens, faciens refectionem omnibus ministrari.

CXLIV. Fecit & propriis sumpibus ad opus infirmorum & pauperum hospitale sancti Spiritus apud sanctam Mariam in Saxia in strata publica juxta Tyberim ante basilicam sancti Petri; quod quantum ditaverit & dotaverit beneficiis, possessionibus, redditibus, thesauris, ornamentis, libris, & privilegiis, per se satis apparet, & ut religiosus cultus & hospitalitatis gratia, quæ nunc vigent ibidem, semper abundant. Instituit autem apud hospitale prædictum stationem solemnem Dominica post octavas Epiphaniæ, in qua populus illic confluit Christianus ad videndum & venerandum sudarium Salvatoris, quod cum hymnis & canticis, psalmis & faculis à basilica sancti Petri ad locum illum processionaliter deportant & ad audiendum & intelligendum sermonem exhortatorium quem ibi facere debet Romanus Pontifex de operibus pietatis, & ad promerendam & obtinendam indulgentiam peccatorum quam exercentibus se ad opera misericordiæ pollicetur: ad quæ ut alios non solum verbis provocet, sed exemplis, egenis omnibus ad illas spirituales nuptias concurrentibus panes, carnes, & denarios constituit elargiri: quorum omnium rationem idem prudentissimus Præsul exposuit in homilia quam super illius diei evangelium exaravit. Quantum verò munificus & studiosus extiterit circa cultum & ornamentum Ecclesiarum, \* frequentia dona manifestant. Basilicæ ergo Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, contulit in territorio Tusculano Ecclesiam de Fracata cum tenimentis suis, sicut infra distinctos terminos continetur, & pretiosam vestem de examete rubeo deauratam, undique cooperientem altare, habentem ab anteriori parte imaginem Salvatoris & imagines beatæ virginis, Iohannis Baptistæ, principis Apostolorum & Imperatoris mirabiliter insignitas, & dalmaticam deauratam nobilem, monasterium sancti Andree in Silice cum omnibus pertinentiis suis; hospitali ejus possessiones in territorio Tusculano. Item eidem basilicæ optimam crucem auratam nobiliter operatam cum lapidibus pretiosis, & pedem pro eadem cruce argenteum deauratum septem marcarum, & unum calicem aureum decem & septem unciarum & dimidiæ, & unum cochlear aureum duarum unciarum & unius tarenii.

\* *Edr. Telo. cur. blicum*

\* *Cod. Ped. promiscua*

Vide lib. 1. epist. 91. 97. lib. 10. epist. 179. lib. 12. epist. 104.

\* *Cod. Ped. sequentia manuscr.*

*Ex veteri catalogo Pontificum Romanorum qui desinit in Innocentio III.*

Ex codice 1497. bibliothecæ reg.

**I**nnoentius natus Campanus, mensis Januarij die viiij. electus est apud Septisolum; sicut dicunt illi versus, quos idem fecit.

*Qui Petro pridem cathedram, tibi terminus idem,*

*Præbens illud idem quod Petrus sumpsit ibidem.*

*Sorte magistratus sibi quando fuit cathedratus,*

*Accipiens apicem quem petiit atque vicem.*

Hic enim quantum sit in omnibus gloriosus, opera ejus testimonium perhibent veritati. Fulgent enim splendida

facta ejus in urbe pariter & in orbe. Fecit enim, inter cetera, hospitale sancti Spiritus, & renovavit Ecclesiam sancti Sixti. Composuit Decretales, sermones, librum de Missa, & miseria hominis, & alia gloriosa. Anno verò xviii. pontificij hujus, mense Novembri, in Ecclesia Salvatoris celebratur Concilium generale, ubi penè corpus totius Ecclesie universalis convenit. Vixit autem annis xviii. m. v. d. v. i.